ACTUS SOLENNES
GYMNASII REGII SPIRENSIS

D. XXXI. AUGUSTI MDCCCXXXVIII

RITE HABENDOS

COLLEGARUM NOMINE

INDICIT

RUPERTUS JAEGER

[redacted]

PRAEMITTITUR ANNOTATIONUM IN PLUTARCHI VITAM CAESARIS SPECIMEN PRIMUM.

SPIRAE
TYPIS DANIELIS KRANZBÜHLER.
1838.

C. Julii Caesaris vita.

Εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο
Καὶ θαμὰ τοῦτ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.
Hesiod.

Cap. I.

Τὴν Κίννα τοῦ μοναρχήσαντος θυγατέρα, Κορνηλίαν etc. L. Cornelius Cinna ex Annia, ut videtur, uxore [cf. Vellej. Paterc. II, 41: cum M. Piso consularis Anniam, quae Cinnae uxor fuerat, in Sullae gratiam dimisisset] duos habuit liberos, Corneliam, quam Caesari nuptam apud eundem decessisse infra c. V., Sueton. vit. Caes. c. VI. docemur, atque filium, quantum temporum habita ratione conjici potest, minorem illa, L. Cornelium Cinnam, qui quo anno Caesar interfectus est (709 p. u. c., 44 a. Chr.) praetor, [cf. Appiani *Ῥωμαικ. ἐμφυλ.* lib. II. p. 504 edit. Toll.] quamvis affinis esset Caesaris, maximisque ab eo affectus beneficiis [Suet. Caes. V: L. etiam Cinnae, uxoris fratri reditum in civitatem rogatione Plotia confecit] adeoque ad praeturam provectus, primus fuisse dicitur, qui interfectores ejus publice laudaret atque praemia iis decerneret, Caesarem invidioso tyranni nomine palam notaret. Cf. Valer. Maxim. IX. 9, 1. Ciceron. Philipp. III. 10, 26.— Ipse Cinna, de quo Vellej. Paterc. II. 24: „vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum, de quo vere dici potest, ausum eum, qnae nemo auderet bonus, perfecisse, quae a nullo, nisi fortissimo perfici possent; et fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo virum" — postquam bello Marsico singularem plane rei militaris probarat peritiam, quater consulatum gessit [annis 666, 667, 668, 669 a. u. c.] cum Cn. Octavio, C. Mario, L. Valerio Flacco, post Marii mortem suffecto, Cn. Papirio Carbone collegis, ita quidem hi ut, excepto uno Octavio, cujus resistendi conatus quem fructum et ipsi et urbi tulerint omnibus notum, nomine tantum consules, ipse vero is esset, ad cujus nutum omnia agerentur, qui ad suum unius arbitrium omnia regeret atque constitueret. Quare latinis scriptoribus si de Cinnae magistratu agendum est, veram ut ejus indolem atque naturam indicent, modo *dominationis*, modo *regni* invidiosis

utuntur nominibus. Cf. Cicer. de nat. Deor. III. 32, 81: Cur omnium crudelissimus Cinna tam diu *regnavit?* Id. de harusp. responsis c. XXV, 54: Cum Octavio collega Cinna dissedit: utrique horum secunda fortuna *regnum*[1]) est largita, adversa mortem. Valer. Maxim. VI, 9, 6: „Sulla — Cinnae *dominationem* fregit.“ etc. — Quae si reputaverimus, vix, opinor, in Xylandri abibimus partes, de vocab. *μοναρχεῖν* usu haec adnotantis: „Usus est hoc vocabulo Plutarchus hic *aliquantulum improprie. Μονάρχης* seu *μόναρχος* pro *tyranno*, et *μοναρχεῖν* pro *tyrannidem gerere* apud Graecos saepe dicuntur etc. — Nimirum id vocabuli tum eum denotat, qui *solus* rerum *potitur, idque injuste.*“ *Μονάρχης* enim in universum eum denotat, qui solus, ad suum unius arbitrium atque voluntatem exercet imperium quoddam, regit civitatem atque administrat, seu liberam illam antea, pluribusque utentem summis magistratibus, a quibus adeo provocatio esset ad populum (*ὑπευθύνοις*), seu antiquitus ita conformatam, ut penes unum — rex qui et esset et vocaretur — summa esset rerum potestas, summa auctoritas, summa dignitas. Quod si tenebimus, id statim elucebit, num jure quis *μόναρχον* se gerat, an injuste, malisque artibus eam invaserit dignitatem, id ex totius narrationis indole, sententiarum nexu, atque populi, de quo agit scriptor, institutis et moribus dijudicari, minime vero illam *injusti*, quo quis *potitus sit* (non „*potiatur*“ quod est apud Xylandrum) imperii significationem, neque propriam, neque impropriam inesse in vocabulo illo. Quod ut per se est verisimile, ita exemplorum nube demonstrari potest, hac mente usos esse Graecos vocabulo *μοναρχία*, quorum pauca afferre lubet. Caes. c. LVII. *πολέμων καὶ κακῶν ἀναπνοὴν ἡγούμενοι τὴν μοναρχίαν — δικτάτωρα αὐτὸν κατέστησαν διὰ βίου.* — Quo cum loco cf. XXXVII. *ἀλλ' ἐν ἡμέραις ἕνδεκα τὴν μοναρχίαν* (dictator dictus) *ἀπειπάμενος — ὕπατον δ'ἀναδείξας ἑαυτὸν καὶ Σερουίλιον Ἰσαυρικόν* etc. XXVIII. *Πολλοὶ δ'ἦσαν οἱ καὶ λέγειν τολμῶντες ἤδη πλὴν ὑπὸ μοναρχίας ἀνήκεστον εἶναι τὴν πολιτείαν*, et paullo post: *ἀγαπᾶν εἰ πρὸς μηδὲν χεῖρον αὐτοῖς ἀλλὰ μοναρχίαν ἐκπεσεῖται τὰ πράγματα.* ibid. *ὡς μὴ βιάσαιτο δικτάτωρ γενέσθαι νομιμωτέρᾳ μοναρχίᾳ παρηγορηθείς.* Pomp. XXV: *ἔγραψε δὲ Γαβίνιος νόμον οὐ ναυαρχίαν, ἄντικρυς δὲ μοναρχίαν αὐτῷ διδόντα καὶ δύναμιν ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους ἀνυπεύθυνον.* ibid. XXI. *ἦν τις ὑποψία καὶ δέος ὡς — βαδιουμένου δι' ὅπλων καὶ μοναρχίας ἄντικρυς ἐπὶ τὴν Σύλλα πολιτείαν.* Cat. m. XLV. *ἐξ ὧν οὐ λέληθε δι' ἀναρχίας μοναρχίαν ἑαυτῷ μνηστευόμενος.* Caes. XLI. *ἐκάκιζον τὸν*

---

[1]) De hoc invidioso vocabul: *rex, regnum, regnare* apud Latinos usu cf. sis Liv. XXI, 3. ibique interpr., imprimis qui nuper hunc librum in usum studiosae juventutis egregie instructum edidit, Fabrum, professorem Norimbergensem; Sallust. Iugurth. c. LXIV, 5. c. Kritzii nota, Catilin. c. XLVII; Ciceron. de Divinat. II, 54, 110. „Quorum (Sibyllae versuum) interpres nuper — dicturus in senatu putabatur: cum, quem re vera *regem* habebamus, *appellandum* quoque esse *regem*, si salvi esse vellemus.“

Πομπήϊον — *ὡς δὴ μὴ βουλόμενον ἀποθέσθαι τὴν μοναρχίαν.* Timol. XXXVII. *ὡς δ'ἐπανῆλθεν εἰς Συρακούσας* — *εὐθὺς ἀποθέσθαι τὴν μοναρχίαν.* Lysand. X. *ἐφορμούντων στρατεύματι μοναρχουμένῳ* etc. etc. Ubique vero summi cujusdam imperii notio obtinet, quod quibus artibus sit partum, qua ratione administratum ex aliis omnibus potius, quam ex hoc cognoscitur vocabulo. Simili modo, quo nostro loco *Cinna* audit *ὁ μοναρχήσας*, *Sullam* videbis notatum vit. Cicer. c. XXVII. *ἐπεὶ δὲ Φαῦστος, ὁ Σύλλα τοῦ μοναρχήσαντος* etc. Cf. ibid. c. XVII. et apud Latin. formulas, quales sunt: Sullanum *regnum*, Cic. ep. ad Attic. VIII, 11, 2. — Sulla Cn. Pompeji opibus *regnavit*, Philipp. V, 16, 44. quibus nil frequentius. — Male igitur Xylander, vertens: Cinnae, qui *tyrannidem* Romae *occuparat;* pejus etiam interpres apud Reisk: Cinnae, qui Romae *rerum potitus est;* propius vero Amyot: qui *avait* pour un temps *souveraine puissance* à Rome; optime Dacerius: qui *avait eu* la souveraine puissance.

ὡς ἐπεκράτησε Σύλλας. Amyot: Sylla se trouvant au dessus de ses affaires. Xyland. et interpr. Reisk: Sylla victor. Dacer: devenu maitre à Rome. — Accuratius paullo de vi atque usu hujus vocis agendum. Et illud quidem in vulgus notum, *κράτος* vocab. non solum vim denotare atque robur, quo quis est instructus, sed id quoque, quod virium contentione paratur, seu victoriam, seu hanc quod consequitur, summum aliqua in re imperium, summamque auctoritatem vel quasi jurisdictionem. Cf. modo Homer. Od. I, 355. *μῦθος δ'ἄνδρεσσι μελήσει Πᾶσι, μάλιστα δ'ἐμοί, τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ*, et nostr. Caes. vit. c. XXV: *τὸ δὲ σύμπαν αἱρεθεὶς κράτος εἶχε τοῦ πολέμου Οὐεργεντόριξ.* — Aemil. Paul. X, 3: *καὶ φανεὶς εὐθὺς* — *ἔδοξεν νίκην καὶ κράτος πολέμου κομίζων-καταβαίνειν εἰς τὸ πεδίον*, et quos affert ibi Heldius v. cl., locos ex Mario XVII, 4. et Sulla XXVII, 3 [1]). — Quod inde derivatur verbum *κρατεῖν* igitur, aut idem est quod *valere, vigere, validis* instructum esse *viribus,* aut his viribus uti significat ad debellandos alios et fausto quidem successu, *vincere* igitur, *superare,* in *ditionem* vel *potestatem redigere*, aut de eo denique usurpatur, qui *summum* in alios *exercet imperium*, summa inter eos fruitur auctoritate, quem nostrates „einen Machthaber" dicunt. Quo fit, ut aut absolute ponatur, aut cum genitivo ejus rei, quam quis superavit, aut cum dativo, localem quem vocant, conjunctum reperiatur. Eadem omnia de verbo composito *ἐπικρατεῖν*

---

[1]) Ibi enim *κράτος πολέμου* quid sibi velit, intelligi nequit, nisi summum id esse belli arbitrium, victoria partum tibi sumseris. Vertendum igitur erit: ubi in eorum numero, qui consulatum petebant, visus est: ita est exceptus ut non magistratum petiturus in campum descendere videretur, sed velut si victoriam, ideoque summum belli arbitrium afferret civibus atque redderet; *καί* vero, ut latinor. *atque,* saepe sententias addere nexu consecutivo cum antecedentibus conjunctas, atque tum vernaculo sermone per: „und daher" reddendum esse vix est quod moneam.

valere videntur; in quo praepositionis ἐπί ubique eas putem esse vices, ut superiorem statum, erectioremque super alios vitae conditionem, qua victor utitur, per prolepsin quandam innuat, eandemque plane habeat vim, quam in vernaculo sermone praefixum illud: ob in compositis: obherrschen, obwalten, obsiegen ꝛc. habere omnes concedunt [1]). — Et absolute quidem positi exempla inde ab Homero omnibus graeci sermonis scriptoribus frequentissima, cf. Hom. Odyss. XVII, 320: εὖτ' ἂν μηκέτ' ἐπικρατέωσιν ἄνακτες. Ilias XIV, 98: ὄφρ' ἔτι μᾶλλον Τρωσὶ μὲν εὐκτὰ γένηται ἐπικρατέουσί περ ἔμπης. Herod. I, 173. ὡς ἐπεκράτησε τῇ στάσει Μίνως. — Polyb. V, 69, 9. Τῶν δὲ πεζῶν τὸ μὲν πρῶτον ἐπεκράτουν οἱ τοῦ Νικολάου, Schweighaeusero adnotante: „in proelio absolute positum hoc vocabulum est victoriam reportare" — (recte quidem quod ad *aoristum* attinet tempus, falso, si de *imperfecto* cogitat vir clar., quo tempore adhibitum numquam non statum victoris denotans, idem est quod: victorem esse; cf. quae similia de verbi κατέχειν imperf. et aorist. vario usu adnotavit Halmius meus in: Elementarb. der gr. Syntax p. 14, 28.) Appian. bell. civil. I .p. 389 : παρὰ δόξαν δὲ ὁρῶν τὸ τόλμημα τῶν ὀλιγωτέρων ἐπικρατοῦν. Herod. IV, 149. καί κως τὸ οὔνομα τοῦτο ἐπεκράτησε, ubi vide sis Baehr. et Creuzer. — Cum genitivo conjunctum nostro usitatissimum, cf. Caes. XVI. καὶ τοῦ σκάφους ἐπεκράτησε. Pomp. XXVIII. Τέλος δὲ πέμψαντες ἱκετηρίας παρέ-

---

[1]) Baehrius v. cl. ad Herodot. II, 1. ubi haec leguntur: ἐπὶ δὲ Αἴγυπτον ἐποιέετο στρατηλασίην (Καμβύσης sc.) ἄλλους τε παραλαβὼν, ὧν ἦρχε καὶ δὴ καὶ Ἑλλήνων, τῶν ἐπεκράτεε, Wyttenbachium probare videtur, in Select. Historr. p. 370. ἐπικρατεῖν non tam *imperare*, quam *insuper imperare* significare monentem; quod equidem haud optime factum putem. Nam illam novae cujusdam accessionis significationem praeposit. ἐπὶ in iis tantum compositis habere contenderim, quae activo vel transitivo potius ponuntur sensu, ut ἐπιλαμβάνειν, ἐπιδιδόναι, ἐπιδιζῆσθαι, ἐπορέγεσθαι, (ad quod respexisse videtur Baehr. Herod. IX, 34.) ἐπικτᾶσθαι, alia — non habere in iis, quae statum quendam subjecti sive conditionem innuunt, in quorum numero verbum ἐπικρατεῖν, imperfecto tempore si ponitur, habendum esse, post ea, quae supra disputavimus, dubium amplius non erit. Nec ullum alium inveniri posse locum, quo verbum aliquod regnandi, imperandi, illa c. praepositione conjunctum, qua vult Wyttenb. notione adhibeatur, pro certo affirmarim. Is quidem locus, quem unum huc trahere aliquis posset, Isocrat. Panegyr. c. XXXIX. ὥστε τοὺς ἀφεστῶτας μηκέτι τὴν ἐλευθερίαν ἀγαπᾶν, ἀλλ' ἤδη καὶ τῶν ὁμόρων ζητεῖν ἐπάρχειν, optime ex vulgari hujus vocab. notione explicari poterit; Aegyptii scilicet non jam ipsi quod essent liberi contenti, *imperium* in vicinos suos affectabant. In loco autem Herodoteo vocabulo ἐπικρατεῖν imperium in Graecos, tamquam armis partum, atque id fere, quod nos Oberherrlichkeit vocamus, bene opponi putem ἀρχῇ, regno legitimo, quod in Persas, populares suos, exercebat Persarum rex.

δωκαν ἑαυτοὺς καὶ πόλεις καὶ νήσους, ὧν ἐπεκράτουν ἐντειχισάμενοι. Demetr. I. *Πλείστων δ' ἐπικρατοῦντες, πλεῖστα δ' ἀποβάλλοντες.* Pomp. XIX, sb. f. *ἐπικρατῶν δὲ τῆς θαλάσσης,* quocum cf. Herod. V, 36. *πολλὰς εἶχε ἐλπίδας ἐπικρατήσειν τῆς θαλάσσης,* et I, 17. *τῆς γὰρ θαλάσσης οἱ Μιλήσιοι ἐπεκράτεον.* IV, 164. *καὶ ἐπικρατήσας τῶν πραγμάτων* etc. Cum dativo constructum, quae construendi ratio Homero non inusitata, Odyss. I, 245: *ὅσσοι γὰρ νήσοισιν ἐπικρατέουσιν ἄριστοι,* Il. X, 214: *ὅσσοι γὰρ νήεσσιν ἐπικρατέουσιν ἄριστοι,* vix apud Plutarchum reperietur. — Sed ut ad nostrum revertamur locum, jam patet, absolute positum illud *ἐπεκράτησε* non recte verti: cum victor esset, seu simili ratione; repugnat enim aoristi temporis usus et natura, quod statum per quoddam temporis spatium porrectum atque durantem numquam significat; vertendum potius erit atque intelligendum: *postquam* armis feliciter *rem gessit,* cum, *debellatis* omnibus suis adversariis, victor *evasisset* etc., quo aoristi usu, ut scilicet ad actionem praeterito perfectam tempore significandam adhibeatur, ut apud optimos quosque obtinet scriptores, ita apud Plutarchum nil frequentius; cf. modo, si tanti est, Caes. XXVI. *Καῖσαρ — ἄρας ἐχώρει ταῖς αὐταῖς ὁδοῖς, ἃς διῆλθε* etc. Aemil. Paul. XXXIV, 3. *Αὐτὸς δὲ τῶν τέκνων ὁ Περσεὺς — κατόπιν ἐπορεύετο* et q. s. r. — *Καίτοι προσέπεμψε τῷ Αἰμιλίῳ δεόμενος μὴ πομπευθῆναι* etc. Neque vero de temporum enallage in talibus est cogitandum, sed id tenendum, ubicunque sententiarum nexus, totaque enunciatorum conformatio, per se spectata satis perspicue rationes indicare videretur, quae inter primariam intercederent atque secundariam sententiam, quid prius, quid posteriore factum esset tempore, etiam Graecos aliquantulum sibi indulsisse, neque raro aoristo, tritissimo illo tempore, esse usos, ubi accuratius locuturi plusquamperfecto uti debebant. Cf. Kühner gramm. gr. §. 444.

Ceterum non videtur praetermittenda esse constructionis anomalia quaedam, seu, id si mavis, singularis plane singulas sententiae partes ordinandi atque disponendi ratio, qua in nectenda hac periodo usus est Plutarchus. Protasis enim duabus si constat sententiis, quarum altera *seu* universum alicujus rei statum, aut personae cujusdam conditionem, consilia, conatus, *seu,* id quod in nostrum locum cadit, factum aliquod, praeterito tempore absolutum atque ad finem perductum indicat, altera singulare quoddam facinus, durante illo rerum statu, obtinente illa conditione perpetratum, aut tale, quod ex consilio illo profluxerit aut priori illo facto quasi fundo nitatur, ideoque subjunctionis lege cum priori illa copulata est: sententia universalis, participio, pro diversa sententiae ratione atque indole, aut relativo aut absoluto enunciata, primum obtinere locum, altera, secundaria, particulae relativae ope priori subjungi solet. Ita, ut incipiamus ab Herodoti loco, supra jam laudato I, 173. prior sententiae particula: *Διενειχθέντων δὲ ἐν Κρήτῃ περὶ τῆς βασιληΐης τῶν Εὐρώπης παίδων, Σαρπηδόνος τε καὶ Μίνω* in universum, quonam inter se animo fuerint Europae filii, nos docet; quod subjungitur, *ὡς ἐπεκράτησε τῇ στάσει Μίνως,* sin-

gulare quoddam factum addit, ex animorum studiorumque illa discordia quasi enatum. Eadem prorsus ratione structuram videbis constitutam in Caesaris nostri c. XV. *Ὁ δὲ Καῖσαρ εὐθὺς ἀπὸ τῆς στρατηγίας τὴν Ἰβηρίαν λαβὼν — ὡς ἦν δυσδιάθετον αὐτῷ τὸ περὶ τοὺς δανειστὰς — ἐπὶ Κράσσον κατέφυγε.* c. XVII. *Ἐν ὁδῷ δέ ποτε συνελασθεὶς ὑπὸ χειμῶνος εἰς ἔπαυλιν ἀνθρώπου πένητος, ὡς οὐδὲν εὗρε πλέον οἰκήματος ἑνὸς — Ὄππιον ἐκέλευεν ἀναπαύσασθαι.* c. XVIII. *κἀκεῖ συναγαγὼν καὶ παρατάξας τὴν δύναμιν, ὡς ἵππος αὐτῷ προςήχθη — ἔφη.* c. LXIV, *καὶ μικρὸν μὲν αὐτῷ προελθόντι τῶν θυρῶν οἰκέτης ἀλλότριος ἐντυχεῖν προθυμούμενος ὡς ἡττᾶτο τοῦ περὶ ἐκεῖνον ὠθισμοῦ καὶ πλήθους — βιασάμενος εἰς τ. οἰκίαν — παρέδωκεν ἑαυτὸν τῇ Καλπουρνίᾳ* etc. Ex hac igitur lege, ubique fere et ab aliis scriptoribus et a Plutarcho ipso observata, orationem hic quoque conformare si voluisset noster, dicendum ei fuit: *Σύλλας ἐπικρατήσας τ. Κ.* etc. — *ὡς οὔτ' ἐλπίσιν* etc. *ἐδυνήθη ἀποσπάσαι κ.* — *ἐδήμευσε τ. φ. α.* Atque hanc vel similem huic orationis conformationem jam ob id exspectaveramus, quod, protaseos atque apodoseos idem si est subjectum, vocabulum, quo continetur illud, in sententiae principio poni solet, ita ut legentis animus initio statim ad id advertatur, quod, ambabus sententiae partibus proprium est atque commune; nunc vero sententiae per relativum subjunctae attractionis quodam genere additum illud *Σύλλας* delitescit quasi atque legentium animos fallit, ita ut hac nova et inaudita paene ratione verba collocandi haud optime sermonis perspicuitati atque simplicitati consuluisse Plutarchum crediderim. Sed ideo fortasse impeditiorem hanc praetulit vulgari atque simpliciori structurae, ut lectores initio hujus libri non tam ad Sullam attenderent, quam ad eum, de cujus vita nunc maxime in animo fuit singularem instituere *πραγματείαν*, Caesarem scilicet, atque eam, quae matrimonii vinculo ei erat conjuncta, Corneliam.

οὔτ' ἐλπίσιν οὔτε φόβῳ δυνηθεὶς ἀποσπάσαι Καίσαρος. cf. ad rem Sueton. Caes. I: «neque ut repudiaret (Corneliam sc.) compelli a Dictatore Sulla ullo modo potuit. Vellej. Paterc. II, 41: Cinnae filiam ut repudiaret nullo modo compelli potuit. — Ad quorum locorum similitudinem omnes uno ore Plutarchi interpretes, verba supra adscripta explicuerunt; *Amyot*: Sylla voulut que Caesar repoudiast sa femme — mais ne l'ayant pu ny par promesses, ny par menaces induire a ce faire etc. *Interpr. ap. Reisk*: Corneliam — neque spe neque metu perpellere Caesarem potuit, ut dimitteret. *Dacer*: Sylla — n'ayant pu obliger ni par promesses ni par menaces à repudièr sa femme Cornelie. *Xylander* pressius Chaeronensis verba secutus, (ita tamen, ut vocabulo *divellere* pro *avellere* substituto incertum reliquerit, ipse quid sentiat de hoc loco): Corneliam — Sylla cum neque pollicitationibus neque minis a Caesare divellere posset. Addit Schmiederus, Caesarem hac in re imitari noluisse nec Pompeji exemplum, qui Syllae jussu Antistiam dimiserit (cf. Plut. Pomp. c. IX) nec M. Pisonem, virum consularem, qui (Vellej. Paterc. II, 41) Anniam uxorem, Cinnae viduam in Syllae gratiam repudiarit. — Attamen ut recte ver-

sati sint in explicando hoc loco viri doctissimi summopere verendum est. Primum enim *ἀποσπᾶν*, idem prorsus quod apud Latinos *avellere*, sive proprio ponitur sensu, sive tralaticio, eam ubique rem seu personam objecti loco sibi habet adjunctam, in quam fit impetus, diriguntur conatus ejus, qui duo vel plura, conjuncta prius, disjuncta vult vel abalienata. cf. Herod. I, 17. *οὔτε θύρας ἀπέσπα*, quod recurrit III, 159. *καὶ τὰς πύλας πάσας ἀπέσπασε*; Plut. Cat. m. XL. *Ἐπεὶ δὲ Κικέρων — τὰς δημαρχικὰς δέλτους, ἃς ὁ Κλώδιος ἔθηκεν ἀναγράψας εἰς τὸ καπιτώλιον ἀπέσπασε βίᾳ.* Pomp. LXXVI. *οὐδὲν γὰρ ἁμάρτημα Πομπηΐου μεῖζον — ἢ τὸ τὴν μάχην οὕτω μακρὰν ἀποσπάσασθαι τῆς ναυτικῆς βοηθείας.* Ibid. LII. *Οἱ δὲ περὶ Πομπήϊον φοβηθέντες τὸν τόνον τοῦ Κάτωνος, μὴ τὴν βουλὴν ἔχων ἅπασαν ἀποσπάσῃ καὶ μεταβάλῃ τοῦ δήμου τὸ ὑγιαῖνον*, etc. — Accedit, quod Plutarchus etiam alio loco idem adhibuit vocabulum, ubi de uxore, marito invito, alii cuidam desponsata loquitur, in Sullae vit. c. XXXIII. *Πομπήϊόν γέ τοι βουλόμενος οἰκειώσασθαι τ. Μάγνον, ἣν μὲν εἶχε γαμετὴν ἀφεῖναι προσέταξεν, Αἰμιλίαν δὲ Σκαύρου θυγατέρα καὶ Μετέλλης τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ἀποσπάσας Μανίου Γλαβρίωνος ἐγκύμονα συνῴκισεν αὐτῷ.* Haec sedulo nobis nec mente testimoniis ceterorum scriptorum praeoccupata reputantibus omnis, opinor, eximetur dubitatio de ea, quae unice vera est h. l. interpretatio, Sullam scilicet adducere omnino non potuisse Corneliam ut a Caesare abiret, atque matrimonium cum eo initum dissolveret. — «At enim hoc cum iis, quae apud Suetonium leguntur et Vellejum aperte pugnat, cumque is, qui *ἀποσπᾶσθαι οὐ δύναται*, aut ipse avelli se non patiatur, aut ab alio quodam, quominus avellatur, impediri possit, omnino non intelligitur, qua necessitate coacti Plutarcho, in rebus romanis saepius jam lapso, quam quis cuperet, novum hunc atque putidissimum obtrudamus errorem.» — Sed ut concedam, quod sane potest concedi, Plut. si scripsisset: *Κορνηλίαν — Σύλλας οὐδενὶ τρόπῳ δυνηθεὶς ἀποσπάσαι*, ita id potuisse intelligi, ut Caesarem, divortium ne fieret, *obstitisse* putemus: multum profecto interest inter eum, qui divortium *ab uxore ne fiat*, obstat et intercedit, atque eum qui *ipse*, ut nuncium ei remittat, compelli nullo modo potest. Tum vero id quoque haud praetermittendum, non legi apud Chaeronensem, quae supra posuimus vocabula *οὐδενὶ τρόπῳ*, quae, si modo caetera recte se haberent, nullam facerent difficultatem, priorem explicandi rationem amplecti si quis maluisset — at leguntur *οὔτ' ἐλπίσιν οὔτε φόβῳ*, quae, animi affectus denotantia, quibus concitandis Sulla quod in animo habebat assecuturum sese confidebat, ut avelleret Corneliam, nisi ad verbi, conatum istum significantis, objectum, Corneliam sc. retuleris, quo recte quidem possint referri non habebunt; ad *Καίσαρος* illud, quod adversarii contendant necesse est, ea *posse* referri (ne dicam, esse referenda) qua ratione, si viverent, probaturi essent viri illi, id scire summopere cuperem; equidem quominus id fiat et logices praecepta et grammatices regulas aeque obstare contendo. «Sed tu quae Plutarchum dicentem facis, pugnant ea cum luculentissimis, planeque indubitatis Suetonii atque Velleji testimo-

niis!" — Verum hoc est, atque probe notandum, neque vero talis narrationis discrepantia in Plutarcho offendere potest. Pugnant tam multa in hac Caesaris vita cum iis, quae sunt apud Suetonium aliosque, quaeque apud utrumque simili modo narrata exstant, tam diverso ordine sunt disposita atque inter se conjuncta, ut omnino dubium esse non possit, e diversis utrumque sua hausisse fontibus. Quid igitur mirum, si etiam hac in re alios auctores Plutarchum, alios Suetonium atque Vellejum secutum esse deprehendamus? Immo id contendam, nostra demum h. l. explicatione probata, singularum narrationis Plutarcheae partium nexum atque conjunctionem posse intelligi atque explicari, ceterorum interpretationi si te adscripseris, omnia videri incredibilia atque plane *αἰνιγματώδη*. Caesar Corneliam ut dimittat nullo modo adduci potest — hostis enim fuit atque adversarius Sullae, oderat Sullam, ob necessitatem cum Mario (sic enim explicant vulgo, quae sequuntur; quam vere infra videbimus). Nihilo minus Sulla, dum in alios saevit, intactum Caesarem atque inviolatum relinquit, quod ille non satis habens, sacerdotium petiturus in publicum prodit etc. Cur tandem per Deos immortales Sulla tantopere Caesar ut dimitteret Corneliam nitebatur? Nolebat enim, Schmiederum si audias, quemquam amicorum per uxorem hostium suorum esse propinquum. — Ain' tu? Sullam, qui paullo post amicis quibusdam Caesaris, ne interficeret eum deprecantibus, responderit, stultos eos esse, si huic puerulo multos inesse Marios non viderent, Sullam illum dico et ipsum tam stultum fuisse putemus, ut Caesarem, Mariorum cognatum, et quasi vindicem relictum, amicum sibi esse, aut, si modo Cinnae filiam dimisisset, amicum sibi futurum arbitraretur?

Aut quî potest credi, virum illum vehementissimum (Cic. Philipp XI, 1, 1: L. Cinna crudelis, C. Marius in iracundia perseverans, L. Sulla *vehemens*) satis habuisse, ut Caesarem, qui Corneliam non dimittendo, non dico animum hostilem, at tamen animum constantem, flectique nescium testatus esset ipsi, uxoris dote privaret, hoc facto omnino rationem ejus amplius non habuisse? Haec certe ab omni verisimilitudine tam sunt aliena, ut Plutarchum, sapientissimum scriptorem, de iis ne cogitasse quidem persuasum habeam. Nostra vero ratione omnia plana: Sulla timebat Caesarem atque oderat; (eam enim inesse sententiam verbis quae sequuntur *αἰτία δὲ Καίσαρι τῆς πρὸς Σύλλαν ἀπεχθείας* etc. statim probabimus) videbat juvenem erectioris ingenii, Mariique junioris caede exasperatum, divitiis, quas simul cum uxore dotis nomine acceperat non parsurum, ut ipsum impugnaret, turbasque excitaret in civitate armis vixdum subacta. Corneliam igitur ab eo abalienare studuit; qui conatus ut secus cessit, dotem ejus publicavit, ita Caesarem, quippe quem nervo privasset rerum gerendarum, ab omni novandi spe atque studio avocatum iri confisus; quod se frustra sperasse cum ex Caesaris pontificii petitione cognosset, inaudita plane in ejus aetatis adolescentulo, vel paene puero — tum demum de morte ejus cogitare coepit, quem, nisi morte, innoxium sibi, reipublicaeque formae a se constitutae reddi posse jam desperabat.

Notum autem est extremis reipubl. rom. temporibus, divortia haud raro a mulieribus quoque esse facta. cf. Cic. ad divers. VIII, 7. «Cornificius adolescens Orestillae filiam sibi despondit. Paulla Valeria, soror Triarii *divortium sine causa*, quo die vir a provincia venturus erat, *fecit.* Nuptura est Decimo Bruto ... *Multa* in hoc genere incredibilia te absente acciderunt. cf. Adami antiqt. Rom. T. II. p. 283 qui praeter h. l. citavit Senec. de benef. III, 16. Juvenal. Sat. VI, 28. Martial. VI, 7. — ita ut Sullae si obtemperasset, nil, quod quidem exemplo caruisset in se commisisse videretur Cornelia; *φόβους* autem et *ἐλπίδας*, quibus ad commovendam eam Sulla usus esse traditur, eo putem constitisse, ut obsequenti dotem a Caesare exacturum se pollicitus, repugnantem, id quod postea fecit, dote se privaturum minitatus sit. — Ceterum, quod ad dicendi rationem, notabis formulam, quam vocant, effectum pro efficiente, ita ut, cum addere deberet scriptor, quae aut *spem* facere, aut *metum* injicere poterant, pollicitationibus atque minis ad Corneliam a Caesare abalienandam Sullam esse usum, *προληπτικῶς* hos ipsos animi affectus, quibus eam *concitandis* in suam perducere conatus erat sententiam, dativo instrumentali posuerit, quae dicendi ratio, ubi de animi affectibus concitandis agitur et in prosa latina haud infrequens, — cf. Liv. XXI, 3. — cum *admiratione* tam ancipitis sententiae omnium oculos in se convertisset. — ibid. 39. junxissetque — *metu* — Gallos adcolas Padi. Sallust. Jug. c. LXXXIX, 1. consul oppida *metu* aut praemia ostentando avertere ab hostibus. LXVI, 1. civitatis, quae ab se defecerant, *formidine* aut praemia ostentando affectare, — latissime apud ejusdem linguae poetas patere videtur. cf. modo Virgil. Aen. II, 529: «Illum ardens *infesto vulnere* (pro hasta vulnus impactura) Pyrrhus insequitur. —

ἐδήμευσε τὴν φερνὴν αὐτῆς. Ad haec Schmiederus: «Ex mente Plut., inquit, et Suetonii haec poena arbitraria fuit. Ex Plut. vero in v. Sullae c. 31. mulcta inflicta est ex lege Cornelia de proscriptione, qua proscriptorum liberi et nepotes bonis patriis privabantur.» Quid hoc ad Corneliam faciat, ejusque dotis publicationem addere oblitus est Schmiederus; in loco e Syllae vita laudato, praeter haecce «*τῶν γὰρ προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνοὺς καὶ τὰ χρήματα πάντων ἐδήμευσε* — quod huc trahi possit, nil invenitur; Corneliae autem pater in proscriptorum numero vix habendus erit, quippe qui ante Sullae reditum in urbem a militibus interfectus sit. — Sed alius ex eadem Sullae vita locus ad nostrum explicandum conferre aliquid videtur; est is cap. XXXIII: *ἐψηφίσθη δ' αὐτῷ* (Sullae sc.) *πάντων ἄδεια τῶν γεγονότων, πρὸς δὲ τὸ μέλλον ἐξουσία θανάτου, δημεύσεως, κληρουχιῶν, κτίσεως, πορθήσεως* et q. s. r., ita ut Sulla ex potestate legitime ad eum delata egisse hac in re putandus sit.

Αἰτία δὲ Καίσαρι τῆς πρὸς Κίνναν ἀπεχθείας ἡ πρὸς Μάριον οἰκειότης ἦν; ***Amyot***: Et la cause pourquoy Caesar voulait mal à Sylla, ***Dacer***: L'inimitié, que Caesar avait pour Sylla. ***Interpr. ap. Reisk.*** Caussa inimicitiae in Syllam Caesari

necessitudo Marii erat. *Xylander* ambigue satis: Causa autem Caesari inimicitiarum cum Sylla fuit etc.

Jam id neminem fugiet, quae supra de verbor. *Κορνηλίαν — Καίσαρος* sensu disputavimus, si vera sunt, ne has quidem sententiae supra adscriptae interpretationes pro veris amplius esse habendas. In praecedentibus enim quae a Sylla in Caesarem facta memorantur, cum haud dubie infestum atque hostilem hujus viri in Caesarem animum prodant atque testentur, ita nil iis inest, quo aut aperte declaretur, odio Caesarem in Syllam flagrasse, aut innuatur saltem. Sententiam vero, ad cujus sensum investigandum jam processimus, eo additam esse consilio, ut rerum, in superioribus enarratarum caussae cognoscerentur et quasi patefierent, et *αἰτία* vocab. in sententiae principio magna cum *ἐναργείᾳ* positum, et articulus *ἀπεχθεία* voci additus, satis superque evincunt. Exspectandum igitur erat, ut jam de caussis fiamus certiores, quae Syllam animo tam parum placato ut fuerit in Caesarem adduxerint, cum ex vulgari hujus loci explicatione Plutarchum id haberemus agentem, ut caussas nobis explicaret rei, quam ipse hucusque ne verbo quidem tetigit; quod eum re vera egisse, id quidem credat Judaeus Apella. — En vides, quid egeris! priora intacta si reliquisses, nunc non laborares! At etiam sic vel maxime laborarem; nam ne sic quidem verbis illis saepe laudatis ulla Caesaris in Syllam odii inest mentio, quod quamnam ob rem conceptum fuerit quaeri possit. Quod enim Caesar uxorem suam ut dimitteret compelli nullo modo potuit, fortem sane, imperterritum atque constantem hac in re probavit animum, infesti atque in Syllam irati equidem nulla videre possum *σημεῖα*. Jam igitur circumspiciendum his difficultatibus quanam ratione nos extricemus, qua in re egregie adjuvabimur formulae *αἴτιον* vel *αἰτίαν εἶναι v. γενέσθαι τινί τινος*, natura atque indole accuratius expendenda. Et in ea quidem pro certo affirmare ausim, subjectum, quod dicunt, logicum enunciationis secundariae, quae aut substantivi genitivo, aut infinitivi, (addatur articulus an omittatur nil interest, cf. Sinten. ad Themist. XXI, p. 149) continetur, attractione quadam dativo casu in primariam assumtum ubique ita cogitari, ut aut patiatur aliquid ab eo, quod sententiae primariae est subjectum, aut rei alicujus faciendae facultatem ab eo accepisse, aut denique statu aliquo uti dicatur, per subjectum illud effecto.

Cujus usus cum haud pauca inveniantur exempla, haud tamen supervacaneum duxi, addere quaedam, rem, ut mihi certe videtur, egregie illustrantia. Conferas igitur primo loco nota illa Homerica Il. I, 150: ubi Achilles de Trojanis — *οὔτι μοι αἴτιοί εἰσιν* sc. *κακοῦ οὐδενός* — nil unquam mali se esse perpessum profitetur; Il III, 164: ubi Priamus Helenam solatio erecturus — *οὔτι μοι αἰτίη ἐσσί* inquit, *θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν* sc. *τοῦ πολέμου*, belli, quo urgeor, quod premit nos atque vexat. Plut. Pomp. I. *αἰτία δὲ τοῦ μὲν μίσους ἐκείνῳ* (Pompeji M. patri) *μία, χρημάτων ἄπληστος ἐπιθυμία — τούτῳ δὲ* (Pompejo M. ipsi) *πολλαὶ τοῦ ἀγαπᾶσθαι.* Ejusd. vit. c. XXXIX, *ὃ δοκεῖ παραλειφθὲν οὐχ ἥκιστα Λευκούλλῳ μίσους αἴτιον γενέσθαι.* Themist. VII, *Διόπερ δοκεῖ*

τῆς σωτηρίας αἰτιώτατος γενέσθαι. Demosth. orat. adv. Leptin. Tom. I. pag. 469. ed. Lips. *οὗτος γὰρ ἀνὴρ τοῦ μὴ τῷ λιμῷ πάντας ἀποθανεῖν αἰτιώτατος ἐγένετο*, et quae huic loco simillima ad Thucyd. I. 74. (Tom. I. p. 149.) Goellerus v. clar. excitavit ex Pausan. t. I. p. 382 — *ἐγεγόνει δὲ καὶ τῶν κηρύκων τοῖς ἐλθοῦσιν … ἀποθανεῖν αἴτιος* et p. 69. *καὶ τούτοις* (Termillensibus sc.) *αἴτιός ἐστι Λυκίους κεκλῆσθαι* — plura, quae ibi videnda. Locus autem ex Plut. Pelop. VI, ibi allatus non repugnat, ubi cum legatur, *τοὺς Θηβαίους μάλιστα συναιτίους γενομένους τῷ δήμῳ τοῦ* (quod post Haiting. et Goellerum erit expungendum) *κατελθεῖν*, non id dicere vult scriptor, Thebanos persuasisse Atheniensibus ut redirent, redeundi his fuisse auctores, sed Athenienses ut redire possent, Atheniensibus ut redire liceret Thebanorum maxime ope et auxilio esse effectum.

Hoc si igitur, haud paucis comprobatum exemplis, constat, jam alius, et ut equidem spero, aliquanto melior emerget vocabulorum, de quibus agimus, sensus, quem huncce esse puto: Illud vero, propter quod Caesar Syllae invisus erat, in Syllae odium atque inimicitiam venerat, caussa infesti Syllae in Caesarem animi etc. — Id igitur digressione hac haudquaquam, ut videtur, inutili assecuti sumus, quod enunciatorum nexu atque conjunctione efflagitatur; quod cum etiam ab usu linguae comprobari demonstratum sit, de priorum interpretum illa et h. l. et superioris explicatione amplius haud laborabimus. Nam *ἀπέχθειαν* vocabulum proprie non significare quod quis pectore conceperit odium in aliquem, sed ejus statum atque conditionem, qui alicui est invisus, der mit einem verfeindet ist, (cf. modo signif. verb. *ἀπεχθάνεσθαι* et adj. *ἀπεχθής*) atque praepos. *πρός* c. accus. solemnem esse locum, ubi id agatur, ut quae inter duos pluresve mutuae intercedant rationes (cf. form. *διαβεβλῆσθαι πρός τινα*) explicentur, cum inter omnes constet, non est quod acta acturi pluribus comprobemus.

Ἡ πρὸς Μάριον οἰκειότης etc. Eadem de Caesaris cum Mario affinitate narrantur Plut. Mar. VI. Vellej. Paterc. II, 41. — *Ἰουλίᾳ γὰρ … ὁ πρεσβύτερος συνῴκει Μάριος.* Male me habet imperfectum de Marii majoris cum Julia matrimonio, quo tempore, quae hic narrantur, facta sunt, jam dudum vita defuncti. Quare cum quae de vario impf. usu inter omnes constant, quaeque Baehrius ad Philop. III. p. 13. annot., Heldius ad Timoleontem XXXIV, p. 485. de h. temporis usu apud Plut. latius patente docuerunt, huc transferri non possint, collat. loc. ex Caes. nostri c. X, ubi simili in caussa legitur: *ἡ Λευκούλλῳ* [1]) *συνῳκήκει* — ut nostro quoque loco plusqpf. *συνῳκήκει* restituatur auctor sum, quod et ad sensum est necessarium nec a palaeographica ratione ul-

[1]) In nominibus Chaeronensem hic illic errasse negari nequit; quare si quis morem vellet gerere Schmiedero, qui, cum ex Ciceronis Coeliana XIII et XVI constet, *Clodiam Q. Metelli* Celeris fuisse uxorem, pro *Λευκούλλῳ* — *Μετέλλῳ* esse corrigendum conjecit, jam ob id summopere ei verendum esset, ne Plut. verius, quam librariorum quendam

lam habere videtur difficultatem. *Xylander* quidem quid legerit, ex versione ejus: Julia ... uxor Marii senioris mater junioris fuit — cognosci nequit; *Amyot*, quod restituendum nos duximus, expressit, vertens: La parenté avec Marius, lequel *avait eu* à femme Julia, de laquelle il *avait eu* (ἐγεγόνει) le jeune Marius. Idem dedit *Dacerius*: car le vieux Marius *avait epousé* Julia. — ξυνοικεῖν vocab. de uxore pariter ac de marito dici adnotaverunt Baehr. ad Pyrrh. IV. Held. ad Aemil. Paull. II. Exemplis ab iis hanc in caussam allatis addas ex Plut. Aemil. P. VIII, 10. *Λέγεται δὲ μηδὲ γνήσιος φῦναι, λαβεῖν δ'αὐτὸν ἡ συνοικοῦσα τῷ Φιλίππῳ.* Pomp. LV. *χήραν ἀπολελειμμένην νεωστὶ Ποπλίου τοῦ Κράσσου παιδὸς, ᾧ συνῴκησεν ἐκ παρθενίας.* Cic. XXIX. *ὅτε Λευκούλλῳ συνῴκει* (Clodia sc.). Adeas praeterea Wyttenb. ad Moral II, 894. et Herod. I, 37, 108 et 173 ed. Baehr.

Ἐξ ἧς ἐγεγόνει Μάριος ὁ νεώτερος ἀνέψιος ὢν Καίσαρος. Cum Plut. C. Marium hunc natu minorem, filium fuisse Marii septies consulis et hic et Syll. XXVIII, Mar. XXXV et XLVI claris verbis narrante facit *Liv.* Epit. L. LXXVII: C. Marius filius in Africam trajecit, LXXXVI: Cum C. Marius C. Marii filius consul ante annos viginti per vim creatus esset. *Vellej. Paterc.* II, 26: Inde consules Carbo III et C. Marius septies consulis filius. *Valer. Maxim.* VII, 6, 4. Diversa narrat Appian. *Ῥωμαϊκ. ἐμφύλ.* p. 402. *Τοῦ δὲ ἐπιόντος ἔτους ὕπατοι μέν γε ἤστην Παπίριός τε Κάρβων αὖθις καὶ Μάριος, ὁ ἀδελφιδοῦς Μαρίου τοῦ περιφανοῦς.* Quare quid moverit Orellium et Baiterum, Onomastici Tulliani auctores, ut Marium hunc *alterum* (cf. Cic. Philipp. XIII, 1, 1.) senioris Marii filium *ex adoptione* fuisse statuerint, equidem non exputo; apud eos certe ipsi quos hujus sententiae laudant testes, nil tale invenitur. — Quod autem Appianus *ἀδελφιδοῦν* eum Marii *τοῦ περιφανοῦς* vocat, id sine dubio confusione cum alio illo Mario factum est, de quo Liv. Epitom. LXXVIII: «Marium senatorii ordinis virum cruribus brachiisque fractum, auribus praesectis et effossis oculis necavit,» ad quem, quae in eodem Onomastico ad Marium filium referri videntur, Sallustii verba in fragmt. ex histor. I: «*C.* Marius fractus prius crura per artus exspiravit» pertinent, et quae aqud Valer. Maxim. leguntur lib. IX, c. 2, 1: Quam porro crudeliter se in M. Mario praetore gessit! quem per ora vulgi ad sepulcrum Lutatiae gentis pertractum, non prius vita privavit, quam ocu-

corrigeret. Sed ab omni abstinendum esse conjectura loc. docet in vita Cic. c. XXIX, ubi explicatius eadem narrantur: *Λεύκουλλος δὲ καὶ θεραπαινίδας παρεῖχεν, ὡς συγγένοιτο τῇ νεωτάτῃ τῶν ἀδελφῶν ὁ Κλώδιος, ὅτε Λευκούλλῳ συνῴκει. Πολλὴ δ'ἦν δόξα καὶ ταῖς ἄλλαις δυσὶν ἀδελφαῖς πλησιάζειν τ. Κλώδιον, ὧν Τερτίαν μὲν Μάρκιος Ῥῆξ, Κλωδίαν δὲ Μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν.* In loco igitur, quem tentavit Schmiederus, non de Clodia cogitandum; sed de Clodii sorore natu minima, cujus nomen praetermisit Plut., alii non commemorant.

los infelicis erueret et singulas corporis partes confringeret. cf. Plut. Sull. XXXII. Cic. de cons. pet. c. III, 10. — Fuit autem is Marius Gratidii filius, a *M. Mario,* Marii septies consulis fratre, *adoptatus;* quod multis docere Perizonium Animadvers. historic. c. III, p. 98 seqq. Ernestius in clav. Ciceronian. adnotavit. — De Marii minoris morte inter scriptores non constat. cf. Vellej. Paterc. II, 27: Tum demum — C. Marius (26 erat annorum) per cuniculos conatus erumpere, cum foramine e terra emersisset, a dispositis in id ipsum interemptus est. Sunt qui *sua manu* (in iis est Plut. Mar. vit. XLVI. *Τέλος δὲ κατακλεισθεὶς εἰς Πραινεστὸν ὑπὸ Σύλλα, πολλὰ φιλοψυχήσας μάτην, ὡς ἦν ἄφυκτα τῆς πόλεως ἁλισκομένης, αὐτὸς ἑαυτὸν ἀπέκτεινεν,* cf. Syll. XXXII. Appian. l. l. p. 400. *τὴν πόλιν τῷ Λουκρητίῳ παρέδοσαν, Μαρίου καταδύντος εἰς τάφρους ὑπονόμους καὶ μετὰ βραχὺ καὶ καθελόντος ἑαυτόν.* Liv. epit. lib. LXXXVIII: Marius Praeneste obsessus a Lucretio Ofella, Sullanarum partium viro, cum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu, *mortem sibi conscivit*), sunt qui concurrentem mutuis ictibus cum minore *fratre Telesino* — occubuisse prodiderint. Cf. Valer. Maxim. VI, c. 8, 2: Consulem autem Marium — cuniculi latebris frustra evadere conatum, levique vulnere a *Telesino,* cum quo commori destinaverat, perstrictum, *servus suus* — gladio trajectum interemit. — Illud non dubitatur, dignum eum fuisse tanto patre filium, infestissimumque Sullae exstitisse hostem, hic ut eo demum occiso: *Felicis* nomen adsumserit. cf. Vellej. II, 27 sb. f. Plut. Mar. XLVI, sb. f. —

ὡς δ' ὑπὸ πλήθους φόνων ἐν ἀρχῇ καὶ δι' ἀσχολίας ὑπὸ Σύλλα παρορώμενος οὐκ ἠγάπησεν. — Praeposit. *ὑπό* c. gen. conjuncta nullo loco significare quidquam videtur, quod non ad genuinam ejus atque primariam notionem, qua idem est, ac Latinor. *sub* c. abl. revocari indeque explicari possit [1]). *Ὑπό τινος εἶναι* igitur sig-

[1]) Quod Bernhardy wissenschaft. Syntax der gr. Spr. p. 268. Kühner in gramm. graec. edit. maj. §. 617, 1. p. 309. contendere sunt conati, secundo cum casu conjunctam hanc praepositionem saepissime idem esse quod nostrum: unter einem her, unter etwas hervor, aus der Tiefe heraus, provocantes ad Homerica illa: Il. XVII, 235: *νεκρὸν ὑπ' Αἴαντος ἐρύειν.* Odyss. V, 5. *ὑπὸ ἀπήνης λύειν ἵππους.* Hesiod. Theog. 669: *ὑπὸ χθονὸς ἧκε φόωσδε* et quae huic cognatae structurae apud Atticos reperiuntur, simile quid statuisse mihi videntur, ac si quis propter formulam illam usitatissimam: *πέσεν ἐν κονίῃσιν* contendere vellet, *ἐν* praep. saepius eadem instructam esse vi, qua Latin. *in* c. acc. junctum. At hanc quidem omnes concedunt ea ratione conjungi cum verbis motum indicantibus, ut respiciatur ad statum, qui quem verbum innuit motum consequitur, atque excipit quasi. (cf. Bernhardy p. 208. Kühner §. 621, a: Das Verbum der Bewegung involvirt den Begriff der erfolgten Ruhe, wenn die Präpos. mit dem Dativ, statt der Präpos. mit dem Akkus. stehen. Das Moment der Ruhe, die Beziehung auf das dauernde Resultat der Handlung, muß

nificat: esse sub aliquo, alicui esse subjectum, in alic. esse potestate ac ditione, pendere ab. aliq., auctoritate alic. regi ac voluntate. Tali vero qui utitur vitae conditione, is fere leges normasque agendi ab eo accipere solet, quem habet dominum vitae arbitrumque; qui cum aut jubeat aliquid fieri aut vetet, jam patet, qui fiat, ut illud *ὑπό τινος* pro diversa diversarum in quibus locum obtinet, sententiarum natura atque structura, modo idem significet, quod Latini participiis: commotus, adductus, etc. aliqua re v. per aliquem exprimunt, modo indicet enunciati subjectum ne quid faciat, impediri, prohiberi, deterreri ab alio quodam. cf. Eurip. Troad. 350: *ὡς οὐχ ὑπ' αἰχμῆς, οὐδ' ὑπ' Ἀργείου δορὸς γάμους γαμεῖσθαι τούσδ' ἐδόξαζόν ποτε.* — Herod. VII, 226: *οἱ βάρβαροι τὸν ἥλιον ὑπὸ τοῦ πλήθεος τῶν ὀϊστῶν ἀποκρύπτουσι* i. e. *μὴ ὁρᾶσθαι ποιοῦσι*, plura, quae larga manu in grammaticis suppeditata invenies. Itaque in iis, quae agitamus, quibus perficiendis studemus, a quibus suscipiendis recedimus etc. cum fere ab animi affectibus, metu, spe, gaudio similibus pendeamus toti atque regamur, aut ad externas quasdam res rerumque conditiones, quaeque ab his dictantur praecepta, componamus consilia nostra agendique rationes, ubique vero tam in iis, quae sectamur, quam in iis, quibus abstinemus, quae praetermittimus, rei cuidam obtemperare videamur, aut in ipsis nobis, aut extra nos sitae: Graeci has actionum nostrarum caussas efficientes saepissime secundo casu, apto illo a praepos. *ὑπό* enuntiare solent. Inde igitur frequentissimae illae formulae, *ὑπὸ θυμοῦ, ὑπ' ὀργῆς, ὑπὸ σπουδῆς, ὑπὸ προθυμίας, ὑπὸ δέους, ὑφ' ὕβριος, ὑπὸ φρονήματος* et q. s. r. erunt explicandae, inde, quod nostro loco est, *ὑπὸ πλήθους φόνων* similesque formulae, Plutarcho usitatissimae. Cf. Cic. XII. *ἐδόκει δὲ καὶ τὸν Κατιλίνα*

---

alsdann als das vorherrschende aufgefaßt werden können.) Quid igitur impedit, quominus *ἀναλογικῶς*, ubi praepos. *ὑπό* c. gen. conjuncta c. verb. movendi componitur simile orationis compendium obtinere statuamus, ita ut *πέσεν ἐν κονίῃσεν* cum breviter dictum sit pro: *πέσεν ὥστε εἶναι v. κεῖσθαι ἐν κονίῃσιν*, ad explicandum illud *νεκρὸν ὑπ' Αἴαντος ἐρύειν* post *Αἴαντος* vocab. mente suppleatur *ὄντα*, eaque sententiae particula conditionem ab omni hostium injuria tutam indicari putemus, qua caesi Patrocli fuerit corpus, Trojani priusquam ad se id pertrahere conarentur? Sicuti illic, pro termino, in quem dirigitur motus aliquis atque tendit, id mente praecipitur, quod absoluto demum motu efficietur, ita hic loco termini, quem dicunt, a quo, status depingitur obtinens, antequam quis conatus esset turbare eum atque tollere; utrumque *παραταχτικῶς*. Equidem in hac formula eandem plane legem regnare contenderim, quam, quod ad praep. *ἐν* usum attinet, optime his expressit verbis Bernhardy: Die Dichter nämlich (und wohl auch die Prosaiker, die ihrer Ausdrucksweise sich angeschlossen) lassen hier, wie in andern Fällen die räuml. Betrachtung als ein abgesondertes Moment ohne engere Verknüpfung mit dem verbo hervortreten.

νεωτερισμὸν εἰδὼς οὐ δυσχεραίνειν ὑπὸ πλήθους δανείων i. e. ne id faceret dissuadente aere alieno. Pomp. XXXVI. ὑπὸ πλήθους ἑρπετῶν θανασίμων ἀπετράπη. Timol. I. ἡ πόλις ὑπὸ πλήθους κακῶν μικρὸν ἀπέλιπε ἔρημος εἶναι. Caes. LXV. Δεξάμενος οὖν ὁ Καῖσαρ ἀναγνῶναι μὲν ὑπὸ πλήθους τῶν ἐντυγχανόντων ἐκωλύθη etc. Loci nostri sensus igitur erit: Caesar vero initio cum a Sulla, caedium multitudine *impedito, distracto,* v. prae caedium multitudine praeteriretur, hac re non contentus etc.

καὶ δι' ἀσχολίας. Particula καί, ut in lat. sermone particulae *atque, que, et* (cf. Fabr. ad Liv. XXI, 17. XXII, 14 etc. etc.), ita saepe copulat, ut aut generi addat speciem, aut inversa ratione speciei genus, illud si est, restringendo, hoc, augendo atque in majus evehendo, quod primo positum erat loco, accuratius definiens. Sic nostro loco vertendum erit: und überhaupt durch eine Masse von Geschäften in Anspruch genommen. cf. Matth. §. 620, 1. b. Similem ejus usum tetigit Stallb. ad Plat. Apolog. p. 23, A. Haec vero negotia, qualia fuerint, cognoscas ex Cic. orat. pro Rosc. Amer. VIII, 23: «Neque enim mirum, quum eodem tempore et ea, quae praeterita sunt, et ea, quae videntur instare praeparet, quum et pacis constituendae rationem et belli gerendi potestatem solus habeat, quum omnes in eum spectent, unus omnia gubernet, quum tot tantisque negotiis distentus sit, ut respirare libere non possit, si aliquid non animadvertat.» — cf. praeterea Plut. Sull. c. 31 sqt. — Ceterum id quoque notandum, quod in Livio animadverterunt viri docti, orationem variare solere hunc rerum scriptorem, in sententiae membris sibi aut oppositis aut copula conjunctis variis utendo praepositionibus, (cf. Fabr. ad l. XXI, 41) id non minus recte de Plutarcho posse dici, ita tamen, ut non sine idonea caussa in eligendis illis particulis versatus esse, immo plerumque hanc structurae variationem non sine aliquo sensus discrimine admisisse putandus sit. (cf. Caes. VII, s. f. ἐν εἰρήνῃ καὶ καθ' ἡσυχίαν, XI. ἅμα γέλωτι καὶ μετὰ παιδιᾶς. XIV. σιωπῇ καὶ μετὰ κατηφείας. Aemil. Paull. XII. σὺν τάχει καὶ μετ' ἀσφαλείας.) Itaque nostro loco per se cum recte dicatur, ὑπ' ἀσχολιῶν (cf. Plut. Pyrrh. V. Δημητρίου ὑπ' ἀσχολιῶν βραδύνοντος) negotia si in caussa fuerunt, aliquid ut vel non fieret, vel praeter spem eveniret, hac formula nunc uti noluit Plutarchus, haud dubie eam ob caussam, ne duae sententiae partes, utraque secundo casu apta a praep. ὑπό, sed diverso sensu — ὑπὸ πλήθους φόνων καὶ ἀσχολιῶν — ὑπὸ Σύλλα, — juxta se positae orationem ingratam redderent auribus, ambiguamque ad sensum. Nunc vero vocab. δι' ἀσχολίας ita interjectis, ut simul, qua ratione prius illud ὑπό sit intelligendum, indicent, simulque efficiant ut memoria ejus obliteretur paullulum et ex animis quasi elapsa sit nobis jam ad alterum illud ὑπό progressis, orationis perspicuitati atque integritati optime consultum esse putem a Chaeronensi.

παρορώμενος οὐκ ἠγάπησεν. — ἀγαπᾶν, ἀρκεῖσθαί τινι καὶ μηδὲν πλέον ἐπιζητεῖν. Suid. Satis habere, contentum esse, acquiescere in aliqua re, gratulari sibi rem acceptam neque praeterea quidquam concupiscere — verba Heldii ad Plut. Aem. Paull. c. VII, p.

165 huj. voc. usum, optime, ut solet, illustrantis; exemplis ab eo, ut variam ejus structuram illustraret, allatis, haecce addas e Plut. desumpta: *Constr. cum acc*: Cat. min XII. *οἱ δὲ ξενίαν ἐλάμβανον ἀγαπῶντες τ. δοθεῖσαν*. Pyrrh. XII. *ἀγαπᾶν μὲν ἔφησε τοῦ δήμου τὴν πρὸς αὐτὸν εὔνοιαν καὶ πίστιν*, ubi Baehr. — *Absolute positi*: Pomp. XXII: *καὶ μέντοι Πομπήϊος ἠγάπησεν*, XXXIII. *ἐπὶ τούτοις ὁ μὲν Τιγράνης ἠγάπησεν*. Sequente *particula εἰ*: Cat. m. XXIII: *καθαπτομένου τοῦ Καίσαρος— δεδιττομένου τὴν βουλὴν, ἐφ' οἷς αὐτὸν ἔδει δεδιέναι καὶ ἀγαπᾶν, εἰ τῶν γεγονότων ἀθῷος ἀπαλλάξαι*. Cum *participio*: nostrum h. locum, porro Cat. m. LVIII, *εἰ μὴ μόνον αὐτὸς ἀγαπᾷ καθήμενος ἐν πόλει καὶ τείχεσιν*. Cic. XIX. *οὐ γὰρ ἀγαπήσειν μετριώτερόν τι θανάτου παθόντας*. Romul. XXV. *οἱ δ'ἀσθενέστεροι, τυγχάνοντες ἀδείας ἠγάπων*. Num. IV. *οὓς οἱ Φρύγες — παραλαβόντες ἠγάπησαν*. Pyrrh. V. *καὶ μὴ μερίδα μικρὸν ἔχοντα ἀγαπᾶν* etc. — Caesar igitur non contentus vitae conditione tuta quidem et secura sed gloriae magnarumque rerum experte, tantum abfuit, ut in umbra delitescendum sibi putaret, ut vel nunc in civitatis lucem prodiret, sacerdotium a populo petiturus, quod Marius atque Cinna olim ei destinaverant.

ἀλλὰ μετιὼν ἱερωσύνην εἰς τ. δῆμον προῆλθεν, οὔπω πάνυ μειράκιον ὤν. — *μετιέναι, μετέρχεσθαί τι*, ire quid petitum, arcessere (Valken. ad Herod. III, 19.) verba, ut *μνᾶσθαι, μνηστεύειν, παραγγέλλειν*, solemnia de magistratibus ambiundis, ad sacerdotia inde, inter magisratus quidem non habita (cf. Adam. antiquit. Rom. p. 552, collat. pag. 200 et 526. Tom. I.) sed a populo petenda, translata sunt. *Ἱερωσύνη* vero, de qua verba facit Plut., quodnam fuerit sacerdotium, ex Suetonio illustrant atque Vellejo Paterc., quorum ille v. Caes. I. „sequentibusque consulibus *flamen Dialis* destinatus — Corneliam duxit uxorem" porro „Quare et *sacerdotio* et uxoris dote et gentiliciis haereditatibus mulctatus, diversarum partium habebatur", Vellej. II, 43 Caesarem paene puerum a Mario Cinnaque *flaminem Dialem creatum*" — victoria Sullae *amisisse hoc sacerdotium* refert. En habes *τὸ λεγόμενον*, quot capita, tot sensus. *Plutarcho* auctore *non obtinuit*, quod *ambibat* sacerdotium Caesar, nec *creatus* est flamen *Dialis*, Sulla, ne populi suffragiis id sacerdotium obtineret, refragante; *Suetonium* si sequeris, anno aetatis septimo decimo *flamen Dialis destinatus*, Corneliam cum dimittere nollet, hoc sacerdotio *mulctatus est; Vellejus* denique narrat, Caesarem, *paene puerum a Mario Cinnaque* flaminem Dialem *creatum, victoria Sullae*, quippe qui omnia ab iis acta fecisset irrita, id sacerdotium amisisse. — Quod si praeterea memor fueris, Dionem atque Tacitum, hunc utique gravissimum auctorem, tantum abesse, ut hoc Caesaris flaminium agnoscant, ut claris verbis testentur, inde a Merulae flaminis caede (quem post reditum Cinnae, a. p. u. 666 (87), venis incisis ipsum sibi mortem conscivisse notum est. cf. Vellej. Paterc. II, c. 22.) usque ad Augusti tempora (Servium sc. Maluginensem), spatio LXXVI annorum (sic enim corrigendum esse in Tacito, pro eo quod ibi est LXXII, optime vidit Rualdus, animadvertitque Drumannus

Histor. Roman. T. III, p. 130.) neminem in flaminium Jovis esse suffectum — cf. Dion l. LIV, 36: *τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ ὅτε ἱερεὺς τοῦ Διός.... πρῶτον μετὰ τὸν Μέρουλαν ἀπεδείχθη.* Tacit. Annal. III, 58: Saepe pontifices Dialia sacra fecisse, si flamen valetudine aut munere publico impediretur; duobus (scr. sex) et septuaginta annis post Merulae caedem...... neminem suffectum, neque tamen cessavisse religiones — haec omnia apud animum tuum si reputaveris, jam non poteris, puto, non confiteri, hunc vitae Caesaris locum, quod ad historicam veritatem eruendam, ex difficillimis esse, ac paene desperatis, operaeque pretium videri investigare, non dico, quid verum — nam hoc cum in talibus *ὀψιγόνοις* nobis vix unquam invenire concessum sit, me invenisse, virisque doctissimis esse probaturum, id mihi omnino non sumo, — at tamen, quid proxime ad verum accedere videatur, praesertim cum spes non absit, Chaeronensem, quaestione tali instituta, levitatis, incuriae ac prope inscitiae in rebus romanis tam saepe, tamque graviter insimulatum, quod ad nostrum certe locum, hoc crimine posse liberari. — Altius igitur paullo repetendum, atque temporum in vita Caes. rationes in examen erunt vocandae. — Jam primum id inter omnes constat, Caes. occisum esse idib. Martiis anni 709 (cf. fast. Capit.) aetatis suae quinquagesimo sexto (*Sueton.* v. Caes. LXXXVIII: Periit LVI aetatis anno. Plut. Caes. LXIX: *Θνήσκει Καῖσαρ τὰ μὲν πάντα γεγονὼς ἔτη πεντήκοντα καὶ ἕξ*). Natus igitur est a. 653 (100) et quidem a. d. IV id. Quinctil. (Drumann. III, p. 129. h. r. qui testes laudat Macrob. Sat. I, 12. Calend. Amitern. et Antiat. in Verr. Flacc., Fast. ed. Foggin. p. 111.) C. Mario VI. L. Valerio Flacco coss., ita ut ex Suetonii mente („Patrem amisit XVI annorum") anno 669 (84) Cn. Carbone II, L. Corn. Cinna IV coss. patrem amisisse, sequenti anno 670 (83) L. Cornelio Scipione Asiatico, C. Narbone Flacco coss., annorum XVII, *flaminium accepisse* putandus sit. — Jam haec per se si spectaveris plana, omnique, ut videtur, digna fide, nullo modo — id quod Bremius ad Suetonium brevibus exposuit, atque Graevium quoque in annotat. Sueton. editioni ad calcem additis tetigisse postmodum vidi — cum iis, quae Vellejus narravit, componi se patiuntur. Qui cum flaminem Dialem creatum esse Caesarem tradat a Mario Cinnaque, quorum hic a. 669 (84) a militibus obtruncatus est, ille idib. Januar. anni 667 (86) morbo oppressus decessit, aut inconsideratissime locutus est, aut id contendere voluit Caesarem anno 666 (87), quatuor igitur annis ante tempus a Sueton. constitutum, flaminium illud accepisse. Tum vero Caesar vix annum agebat tertium decimum; haberemus igitur flaminem Dialem non *paene*, quod nunc est in edit. Vellejanis, sed *plane* puerum! (atque id fortasse, Vellej. ut secum ipse in concordiam redeat, in textum recipiendum.) Jam hoc quis credat, re vera ita esse factum, qui modo illud in animo teneat, neminem ad hoc sacerdotium potuisse pervenire, nisi maritatum? cf. Plut. Quaest. Roman. L. *Διὰ τί ὁ ἱερεὺς τοῦ Διὸς ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς γυναικός, ἀπετίθετο τὴν ἀρχήν*; ubi quae leguntur: *ἢ συνιερᾶται μὲν ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρί*, (*ὡς καὶ πολλὰ τῶν ἱερῶν οὐκ ἔστι δρᾶσαι μὴ γαμετῆς συμπαρούσης*) *τὸ δὲ γαμεῖν εὐθὺς ἑτέραν*

οὔτ' ἴσως δυνατὸν, οὔτ' ἄλλως ἐπιεικές, nisi hunc, quem alium habeant sensum, equidem non exputo. — At flamen fuit *creatus* quidem atque *destinatus* i. e. *designatus*, *inauguratus* non item, ita ut nulla flaminii munia cum essent ei obeunda, nec aetatis infirmitas ullum facesseret negotium, atque uxore, sacrorum administra, quippe qui non faceret sacra, facile posset carere! — Sed vos, undenam sumpsistis hanc h. rei tam certam scientiam? Num veterum quis eam suppeditavit? Nemo. Conjectura igitur, quod supra posuistis, cum sitis assecuti, jam vestrum erat monstrare, ea quibus commendetur rationibus. Sed hoc nec fecistis, nec unquam, opinor, poteritis facere. — Nam illud certe quam maxime offenderet, Marium Cinnamque, viros illos potentissimos, Caesarem, tantulae aetatis puerum, ad flaminium Jovis, summae dignitatis, summaeque auctoritatis sacerdotium (flamen Dialis *maximae dignationis* inter XV flamines. Festus s. h. v.) provexisse quidem, fecisseque, quo per ludibrium quasi haberent religiones atque sacerdotii sanctitatem, nec vero tantum valuisse nec ipsos, nec illos, qui post eorum mortem, *πρὸς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν* civitatem administrabant, L. Corn. Scipionem Asiaticum, C. Marium juniorem etc. ut intra quinque annos, usque ad Sullae reditum elapsos, qui ipsorum jussu creatus esset flamen, *inauguraretur?* Populus, si Caesarem creavit flaminem Dialem, nonne ipso eo facto, velle se atque jubere declaravit, inaugurari eum, quem creaverat? Pontifex maximus autem, vel totum etiam pontificum collegium, quomodo, nisi inauspicato eum esse creatum probarent, quae populus jusserat, volebant illi duumviri, migrare potuerunt? Quod si quis contendere velit, hac eum creatum esse lege, ut nisi adultus, non inauguraretur, nostro nobis jure interrogare posse videmur, Cinna Mariusque cur omnino jam tum Caesarem eligendum curaverint, cum nec ipsi ullum inde caperent fructum, nec Caesar quicquam lucraretur praeter inanem appellationem, nomenque sine honore? Et quando unquam magistratus sive sacerdotium tali lege apud Romanos delatum est? — Ita igitur explicando et suspicando, quod hariolari verius quis dixerit, nil proficimus, nec omnino Vellejanae narrationis ea esse videtur natura atque indoles, ut cum Casaubono ad Suet. I majorem ei putemus habendam esse fidem, quam Plutarcho, aut cum Rualdo, incredibile quanta cupiditate, caeca interdum atque impotente, quos dicit Plut. lapsus atque errores expiscanti atque *νουθετοῦντι*, certissimum habeamus, (vid. not. ej. in appendice edit. Bryant., quae Londini prodiit 1732. Tom. I, p. 501.) Caesarem a Mario Cinnaque Romae adhuc dominantibus, sacerdotem Dialem *factum* esse. Quid igitur? Ad Suetonii locum redeundum, qui et ipse a criticis atque interpretibus haud uno nomine tentatus est, adeo ut Bremius, Wolfii auctoritate nixus, verba illa: «*flamen Dialis destinatus*» tamquam spuria uncinis circumscribenda curaverit. — «Adversantur scilicet,» eum si audies, «iis quae Vellejus narrat, neque apto loco interposita sunt, quare recte Wolfius, cum ad explicandum, quod paullo infra legitur, vocab. *sacerdotio,* in margine essent adpicta, librariorum incuria huc ea migrasse suspicatus est.» — Jam quod ad primum argumentum attinet, non multum laborabimus, post ea,

quae supra disputata sunt; quod de glossemate suspicatus est vir praeclarus, credi posse praefracte negamus. — Quis enim fuit ille, haec qui margini appinxit? Librarius? Hoc vix ipse contendet, quippe qui de librariorum istorum ingeniis non nimis honorifice judicare soleat; an glossator quidam doctus? Undenam ille haec sumpsit, cum in Plut. de ea re nil compareat, apud Vellejum flaminem *creatum* esse Caesarem a «*Mario Cinnaque*» (quod quomodo sit intelligendum ex locis licet cognoscere, qualis est apud. Liv. XXI, 15: Flaminius Arimini consulatum iniit, *creatus ab* T. Sempronio consule, ubi vid. Fabr.) legatur, *destinare* vocab. de populo vix unquam dicatur, aliunde de Caesare, illi flaminio destinato, nil constet? Tum, quare commodo carere loco haec vocab. dicantur, non exputo, dummodo recte construas atque voc. «sequentibus consulibus» ab iis, quae sequuntur, commate disjuncta, non ad «flamen destinatus» quod hucusque factum, sed ad: «Corneliam uxorem duxit,» referas, sententiam sequentem inde a voc. «dimissa Cossutia» — ad: «desponsata fuerat» parenthetice interpositam, ideoque uncinis circumscribendam a ceteris sejungas. Jam videbis, verba illa a Bremio in suspicionem adducta non solum non suo carere loco, sed optimo addita esse consilio, atque necessaria paene videri, quippe quibus caussa contineatur, Caesar jam nunc cur matrimonium inierit; erat scilicet *destinatus* flamen Dialis, quem esse maritatum leges atque natura sacerdotii poscebant. Flamen *destinatus* vero, non est, quod vulgo contendunt, flamen *creatus*, *designatus*, sed ita intelligendum: da er zum Priester des Zeus bestimmt, ausersehen war, da ihm das Flaminium des Zeus versprochen, die Anwartschaft darauf gegeben war — quo sensu hoc verbo apud Suetonium nil frequentius, cf. modo Caligul. IV: Quarum virtutum fructum uberrimum tulit, (Germanicus) sic probatus ac dilectus a suis, ut Augustus — diu cunctatus an sibi successorem *destinaret*, adoptandum Tiberio dederit. ibid. LV: Jncitato equo — consulatum quoque dicitur *destinasse*, collat. Dione, qui idem narrans: *καὶ προςυπισχνεῖτο καὶ ὕπατον αὐτὸν ποιήσειν*. Domit. XV: Denique Flavium Clementem — cujus filios etiam tum parvulos, successores *palam destinaverat* — interemit. Caes. XXVI: egit c. tribunis plebis, collegam se Pompejo *destinantibus*, id potius ad populum ferrent etc. etc. — Jam facies totius rei immutata est, neque, ut equidem spero, in pejus. In Merulae locum nemo substitutus est, quia Marius Cinnaque Caesarem, Marii nepotem, flaminio Jovis destinaverant; qui cum prius obiissent, quam Caesari per aetatem liceret petere illud a populo, ut virorum, in quos haereditate quasi partes eorum devenerant, gratiam sibi conciliaret, conciliatam firmaret atque cujus in spem a duumviris illis erat adductus, eorum ope acciperet sacerdotium, jam matrimonio se juncturus, fecit, quo ab Cinnanis ipsum partibus stare, nec quin publice hoc profiteretur reformidare, insigni plane ostenderet exemplo — dimisit Cossutiam, uxorem duxit Corneliam, Cinnae filiam. Sed cum etiam tum, incertum qua de caussa, procedere in populum cunctatus, Sulla demum ex Asia reverso, rerumque potito, a populo id peteret, hic eum, quod accepturum se speraverat, sacerdotio *mulctavit*.

quod verbum de re, quam quis spe praecepit, certo non audacius dictum, quam quod est in Plut. *ταύτης μὲν ἐκπεσεῖν αὐτὸν — παρεσκεύασε*, de quo infra. — Jam haec si recte sunt disputata, elucebit, Plutarchum nil erroris in se commisisse, sed praetermisisse tantum, quod ad rem, de qua agere ei in animo erat, nihil plane facere videretur; (cf. Alexandr. v. I. *οὐδὲν ἄλλο προεροῦμεν ἢ παραιτησόμεθα τοὺς ἀναγιγνώσκοντας ἐὰν μὴ πάντα, μηδὲ καθ' ἕκαστον ἐξειργασμένως τι τῶν περιβοήτων ἀπαγγέλλωμεν, ἀλλ' ἐπιτέμνοντες τὰ πλεῖστα, μὴ συκοφαντεῖν*) patebit porro Dionis atque Taciti verba plana atque simplicia, artificiosa, quam Rualdus adhibendam putavit, interpretandi ratione facile posse carere, Vellejum vero eo errasse, quod, qui *privato* Marii Cinnaeque consilio *destinatus* modo esset flaminio Diali, eum *creatum* esse flaminem a duumviris illis nuncuparet.

εἰς τὸν δῆμον προῆλθεν. Libri Mscr., excepto uno Monacensi omnes: *προςῆλθεν*, quod cum Reiskii atque Huttenii editiones retinent (quorum ille quidem notula adscripta Solani conjecturam *προῆλθεν* scribentis, placere sibi, aut pro *εἰς τ. δῆμον* scribendum esse, *ὡς* vel *πρὸς τ. δ.* significavit) Corais atque Schaeferus, quod in lemmate posuimus, in textum receperunt. — At Sintenis ad Themistocl. IV. edit. p. 26, VI, p. 39. Arist. XXV, p. 46 cum exemplorum nube demonstraverit (id quod de formula *προςιέναι εἰς τ. δῆμον* praeiverat jam Haitinger in annot. ad Alcib. V, Act. Monac. Tom. III, fasc. II. p. 170.) probe esse dictum *προςελθεῖν, προςέρχεσθαι εἰς τ. δῆμον, εἰς τὸ μέσον, εἰς τ. ἀγοράν*, nostro quoque loco codicum tantum non omnium lectio erit retinenda. Quod vero Sinten. ad Pyrrhi locum c. XIII: *Εἷς δέ τις ἀνὴρ ἐπιεικής, Μέτων ὄνομα τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἐν ᾗ τὸ δόγμα κυροῦν ἤμελλον, ἐνστάσης καὶ τοῦ δήμου καθεζομένου — πρὸς τὴν ἐκκλησίαν ἐκώμαζεν. Οἷα δ'ἐν ὄχλῳ δημοκρατίας κόσμον οὐκ ἐχούσης, οὐ μὲν* etc. — *ἐκώλυε δ'οὐδεὶς, ἀλλὰ καὶ τὸ γύναιον αὐλεῖν κἀκεῖνον ᾄδειν ἐκέλευον εἰς μέσον προελθόντα*, Baehrium ibi codicum lectionem: *προελθεῖν*, malo consilio neglexisse probaturus adnotavit: *prodiisse* hominem et rem ipsam docere, et dictum id esse verbis, quae praecedant, *πρὸς τ. ἐκκλησίαν ἐκώμαζεν* — nunc eundem juberi *accedere*, in eo falsum esse puto virum doctissimum. *Προελθεῖν* enim verbum cum non solum de iis dicatur, qui domo relicta in publicum aliquem locum se conferunt, sed de iis quoque, qui in foro, in concione locum quendam editum super ceteros, unde ab omnibus et conspici et audiri possint, conscendunt, quamvis codices non addicant, retinendam ibi eam, quam Baehrius recepit, lectionem contenderim (praepos. *πρὸ* et *πρὸς* innumeris locis in compositis confundi monuit Held. Timol. XXI p. 431). Nam *accessisse* hominem ad concionem, id quidem verbis: *πρὸς τ. ἐκκλησίαν ἐκώμαζεν*, luculenter demonstratur, nunc idem non ut accederet, quod jam faciebat, sed ut in medium prodiret, tribunal occuparet etc. Tarentinorum plebecula postulasse videtur, ad quod innuendum *προελθεῖν*, ne dicam necessarium, significantius certe est.

οὔπω πάνυ μειράκιον ὤν. Schaeferus haecce annotavit: „*Πάνυ* Corais asteriscis inclusit ut delendum. Quod retractat et in Addend. p. 503 [*Μεταμέλει μοι ἀμφισβητήσαντι περὶ τῆς γραφῆς· καὶ ἀλλαχοῦ γὰρ κέχρηται τῷ οὔπω πάνυ ὁ Πλούταρχος, ἑλληνικῶς μὲν, οὐ πάνυ μὴν ἀμέμπτως, διὰ τὸ προσεχὲς ὡρισμένης ἡλικίας ὄνομα, Μειράκιον*] et in curis secundis T. VI, p. 485, hic citans, quod supra p. 48, 29 (Pomp. XIV, *οὔπω πάνυ γενειῶν*) illic quod T. IV, p. 172, 33. legitur. Recte. *Οὔπω πάνυ*, quod Corais nollem dixisset *ἐπίμεμπτον*, nedum *κακὸν* aliquanto plus valet, quam solum *οὔπω*." Equidem quod ad retinendam codicum lectionem, assentior ita, ut *πάνυ* illo deleto sensum a Plut. mente prorsus alienum exire putem; — non possum omni ex parte probare, quae vir eximius, caussam ut ageret vocabuli illius, addenda putavit. *Οὔπω* enim cum valeat de tempore, quo quid fieri aut factum esse negatur, *πάνυ* contra vim habeat elativam, quam dicunt, modumque augeat: illud non nisi verbis tempus denotantibus, hoc adjectivis tantum, aut nominibus adjectivorum vice fungentibus, aut verbis denique, quibus praedicati inest notio apponi potest; nostro itaque loco *οὔπω* ad particip. *ὤν* referendum erit, dum *πάνυ* vocabulo *μειράκιον* accuratius explicando inservit. Jam quid sibi velit illud: «*οὔπω πάνυ aliquanto plus* valet quam *solum οὔπω*» intelligi posse, vix concesserim, cum nihil omnino mutuae rationis inter ambo ista vocabula intercedat, quorum alterum alterius vim intendere atque augere Schaeferus contendere videtur. Quod si vero id dicere voluit *οὔπω μειράκιον* eum esse, *qui aetatis juvenilis fines nondum attigerit*, *οὔπω πάνυ μειράκιον* eum, qui *juvenis quidem sit*, sed *non multum in ea aetate processerit, vix eam sit ingressus*, hunc igitur aetate praecurrere illum, natu majorem esse illo — tum amplius non pugnans in partes ejus concedo. *Πάνυ μειράκιον* igitur idem significabit per *μείωσιν*, quod Vellej. Paterc. II, 43 (dummodo sic scripsit) expressit: *paene puer*, ibid. c. 41 *admodum juvenis*. Cornel. Nep. Hamilc. I. *admodum adolescentulus*, Liv. XXI, 2: Hunc (Hannibalem sc. viginti duos ferme natum annos) *vixdum puberem* etc. etc. Plut. ipse Cat. maj. II. *κομιδῇ μειράκιον ὤν*. Marc. VIII. *παντάπασι μειράκιον ὤν* etc., atque, quod ad grammaticen notandum erit, *μειράκιον* voc. iis adcensendum esse substantivis, quae cum notionem habeant mere attributivam, (cf. Buttm. gramm. maj. I, p. 238. Kühner §. 447, 1.) haud raro cum adverbiis conjunguntur. Adeas Bernhardy quoque, wissenschaftl. Syntax p. 338, qui nollem, ut has adverbiorum cum substantivis compositiones explicaret, part. *ὤν* mente supplendum esse dixisset. Idem exemplum ex Plat. Sympos. p. 212, E. depromptum certe huc referre non debebat; nam quae ibi leguntur vocab. *πάνυ σφόδρα*, non ad *συμπότην* pertinent, sed ad *μεθύοντα* trahenda videntur, collat. quae paullo supra de eodem Alcibiade dicuntur: *καὶ οὐ πολὺ ὕστερον Ἀλκιβιάδου τ. φωνὴν ἀκούειν ἐν τῇ αὐλῇ, σφόδρα μεθύοντος* et q. s. r. — *πάνυ* autem postpositum exaggerare sententiam plurima docent Platonis exempla, de quibus adeas Stallb. ad Menex. p. 235, A., ad Cratyl. 418, A. cf. Euthyd. 287, B. Hipp. maj. p. 282, E. Crito p. 45. Eodem modo *οὕτως*

collocatum; cf. Stallb. ad Phaedr. p. 256, E. Bähr. ad Plut. Philop. XIII, p. 49. — Caesar autem tum, cum Sulla in urbem revertebatur, XVIII agebat annum, qua sane aetate *οὔπω πάνυ μειράκιον* (ein kaum in's Jünglingsalter getretener, einer, der noch nicht recht Jüngling ist, ut *οὔπω πάνυ γενειῶν*, einer der noch keinen rechten Bart hat) potuit dici, siquidem Chaeronensis ista voce utitur in hominibus, qui tricesimum aetatis annum jam attigerint; (de hac re cf. sis utilissimas Bährii notas ad Alcib. c. XIII, p. 123 et Philopoem. VI, p. 27) unde suo plane jure quis colligat, eandem aetatis florentis viribusque valentis significationem inesse huic vocab. apud Plut. [1]) qua vocab. *adolescens, adolescentulus,* (Kritz. Sall. Cat. XLIX) *juvenis* a Latinis usurpari in vulgus notum. Itaque quum septimo decimo anno et apud Athenienses (cf. Bähr. ad Alcib. l. l.) et apud Romanos *puerilis* aetas (*ἡ παιδικὴ ἡλικία*) excederetur, iniretur *juvenilis*, *μειράκιον* esse hominem putem, qui — non ut Haitinger. vult Act. philolog. Monac. T. III, f. II, p. 196, *vigesimum,* sed — *septimum decimum* aetatis annum egressus sit, quam meam sententiam loco, quem ipse, male, opinor, intellectum in suam rem attulit Haitingerus, Brut. XXVII: *ὑπατείαν ἔλαβεν* (sc. Octavius) *οὔπω πάνυ μειράκιον ὤν, ἀλλ' εἰκοστὸν ἄγων ἔτος*, haud mediocriter confirmari quivis concedet.

ταύτης μὲν ἐκπεσεῖν αὐτὸν ὑπεναντιωθεὶς Σύλλας παρεσκεύασε. Ἐκπίπτειν ut proprie de hominibus dicitur, qui aut sua sponte locum aliquem consuetum derelinquunt atque ex eo se quasi projiciunt, aut infesta quadam vi atque impetu, id ut faciant coguntur; cf. Caes. VII. *αὐτὸς μὲν* (sc. *Κατιλίνας*) *ἐξέπεσε* sc. *τῆς πόλεως*, ipse quidem urbem propere reliquit; ibid. LXVII. *ἡ γερουσία — διὰ τῶν θυρῶν ἐξέπιπτε.* Pyrrh. XIII. *τότε δ'οὖν εἰς Ἤπειρον ἐκπεσόντι τῷ Πύῤῥῳ καὶ προεμένῳ Μακεδονίαν* etc. Pompej. XXVIII. *καὶ τὰ πανταχοῦ ληστήρια τῆς θαλάσσης ἐξέπεσεν οὐκ ἐν πλείονι χρόνῳ τριῶν μηνῶν* etc. etc.; de iis qui obsidione clausi, erumpunt, Xenoph. Anab. V, 2, 18. *καὶ νικῶσι τοὺς ἐκπίπτοντας οἱ εἴσω*; de scenicis aut oratoribus explosis, exsibilatis cf. Wyttenb. in Plut. Moral. p. 586. Baehr. ad Pyrrh. XIII, p. 175. Pompej. XLVI; de fluviis ripas excedentibus, Baehr. ad Pyrrh. II, p. 147 etc. — ita haud raro sensu tralaticio ponitur de iis, qui aut legitimo mentis statu deturbantur, cf. Pyrrh. XVI. *οὐ συνεχεῖτο τ. λογισμὸν οὐδὲ τοῦ φρονεῖν ἐξέπιπτεν* Caes. XXXIV. *εἰσὶ δ'οἱ καὶ σφόδρα τὰ Καίσαρος ᾑρημένοι πρότερον, ἐξέπεσον ὑπὸ θάμβους τότε τῶν λογισμῶν*: Cic. XLVI. *οὕτως ἐξέπεσον ὑπὸ θυμοῦ καὶ λύσσης τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν*. Cat. m. LXIII. *ἐφ' οἷς οἱ μὲν ἄλλοι παντάπασιν ἀπογνόντες ἑαυτῶν εἰς δάκρυα καὶ ὀδυρμοὺς ἐξέπεσον*, (quo referendum erit, quod Caes.

---

[1]) De ceteris non pugno; Lobeckius quidem in notis ad Phrynichi eclogas p. 213 annum *quartum decimum* apud Platonem aliosque, tamquam *μειρακίου* aetatem designari contendit.

XXVIII de libera republica, quae, ne legitimo statu dejecta in pejus abiret, timebant, dictum est: *ὥστε τοὺς νοῦν ἔχοντας ἀγαπᾷν, εἰ πρὸς μηδὲν χεῖρον ἀλλὰ μοναρχίαν ἐκ τοσαύτης παραφροσύνης* etc. *ἐκπεσεῖται τὰ πράγματα*) — aut cursu suo dejecti, quo minime tetenderant, abripiuntur. Herod. III, 138. *'Αναχθέντες — οἱ Πέρσαι ἐκπίπτουσι τῇσι νηυσὶ εἰς Ἰηπυγίην*; (huc referendus usus ille, de quo Baehr. ad Philop. XV, p. 188: „*ἐκπ.* de iis dici, qui in vadosa et arenosa loca *delati*, impacta navi, in litus quasi ejiciuntur monuit Locell. ad Xenophont. Ephes. p. 239." — Conferri potest Krüger ad Anabas. VII, 6, 12 u. 13.) de iis denique, qui quam conceperant alicujus rei spem, ea dejiciuntur, conatuque frustrantur, quem usum nostro loco obtinere non est, quod fusius moneam, id unum addens, de caussativo *ἐκβάλλειν* idem adnotasse Heldium ad Timol. XX. p. 429. hisce verbis: „*ἐκβάλλειν* autem patet h. l. non ita dictum, ut significet eum, qui loco aliquo sit, inde expellere, sed potius eum, qui jure quodam suo in locum aliquem *tendat* eumque *obtinere studeat*, h. jure privare, ejusque potestatis reddere expertem." — Ceterum de verbo *παρασκευάζειν* accus. c. inf. juncto adeas Held. Timol. XVI, p. 411.

ὡς οὐκ ἔχοι λόγον, rationi non esse consentaneum, caussam justam, idoneam non adesse, probari, defendi nullo modo pesse etc. cf. Held. Timol. VI, p. 340. (qui simili modo dici *φύσιν ἔχειν*, naturae esse consentaneum, demonstrat) Sinten. Pericl. I, p. 56. *ἀποκτιννύναι*. Forma verbi attica, cf. Buttm. II, p. 175, Plutarcho admodum familiaris; praeter infinitivum tertiam p. sing. praes. saepissime ab eo invenies usurpatam, cf. Arist. XIX. *καὶ τὸν Μαρδόνιον — ἀνὴρ Σπαρτιάτης ἀποκτίννυσι*. Cat. m. III. *ἠρώτησε ὅτι δὴ τοῦτον τ. ἄνθρωπον οὐδεὶς ἀποκτίννυσι*. Cic. XXXV. *μετὰ ταῦτα Κλώδιον μὲν ἀποκτίννυσι Μίλων*. Recte formam hanc duplicato scribi *ν*. demonstravit Buttm. l. l. —

οὐκ ἔφη νοῦν ἔχειν αὐτούς. Cod. Mon. *οὐκ ἔχειν νοῦν ἔφη αὐτούς*, quod praeferre se, nisi quis synchysin statuere mallet, Hessius ad Timol. V. p. 83. professus est; addidit Schaeferus, ignorare sese, vulgata qua laboret synchysi, in cujus viri sententiam, quod ad synchysin illam libenter concedo; attamen haud diffitear, habere hanc C. M. lectionem, quo blandiatur magnopere atque sese commendet. Verum quidem est Cod. illum „saepe (verba sunt Hessii l. l.) verba transponere solere," sed ita fere, transpositiones illae ut manum prodant librarii male seduli, in eorum locum, quae nova, inusitata, audaciore paullo ratione dicta atque collocata videntur, vulgarem talia dicendi, ordinandique rationem substituentis. Ita in Marcell. c. XXX. ceteri codices cum praebeant: *παραλόγως οὕτω*, veram haud dubie Plutarchi servantes manum, (cf. Baehr. ad Philopoem. XIII, p. 48 & 49.) in C. Monac. exstat *οὕτω παραλόγως*. Caesar. c. XVII pro vulg. lectione: *μετὰ δὲ τῶν ἄλλων αὐτός*, Monac. *αὐτὸς δὲ μετὰ τ. α.*, qui verborum ordo ut haud dubie est usitatior, ita c. Schaef. probabiliorem eum non dixerim. Ibid. XXXVII. pro ceteror. lect. *πάλιν αὖ* M. *αὖ πάλιν*, quod frequentissimum esse apud Plut., rarius *πάλιν αὖ* demon-

stravit Haitinger. Act. Monac. T. III, fasc. III. p. 297. Talibus igitur in locis si cod. M. auctoritate nixi, suspicionem de vulgata movere vellemus, ne nodum in scirpo quaereremus, summopere verendum esset; at nostro loco contraria plane obtinet ratio. Nam formula *νοῦν ἔχειν* quamvis saepissime utatur Chaeronensis, nusquam ita id fecit, ut subst. *νοῦν* verbo *ἔχειν* postposuerit. cf. Themist. V. *νοῦν οὐκ ἔχειν λοιδοροῦντα.* Coriol. XII. *ἔδοξεν οὖν τοῖς νοῦν ἔχουσι.* Cat. m. L. *νοῦν ἔχοντος ἀνδρός ἐστιν.* Aemil. Paul. X. *νοῦν ἔχοντα.* Dion. XI. *νοῦν ἔχουσι ἀνθρώποις.* Caes. XXVIII. *ὥστε τοὺς νοῦν ἔχοντας ἀγαπᾶν* et q. s. r. Quod igitur nostro loco suppeditat Monac. *οὐκ ἔχειν νοῦν* etc. pro librarii vulgaria sectantis correctione haberi nequit, — immo vix me contineo, quin hac lectione veram scriptoris manum a Monac. servatam esse censeam, Plutarchumque, concinnitatis studio ductum, cum paullo ante Caesaris amicos dicentes fecisset: *ὡς οὐκ ἔχοι λόγον* etc., quo quae Sulla jam dicturus esset, ad amussim responderent deprecantium illorum orationi, atque *νοῦν* illud magna cum vocis atque sensus *ἐναργείᾳ* efferretur: verborum ordinem usitatum immutasse paullulum, atque a vulgata haec disponendi ratione deflexisse putem. Quid voluerim, haec si forte minus perspicua videbuntur, optime senties, si *νοῦν* illud voce intenta pronunciaveris.

εἰ μὴ πολλοὺς ἐν τῷ παιδὶ τούτῳ Μαρίους ἐνορῶσιν. Huc pertinent, quae Bremius ad Sueton. I exposuit: „Der eigene Name wird gesetzt um den Charakter, die Denkens- und Handelnsart, kurz das Eigenthümliche der Person auszudrücken. (cf. G. Ph. E. Wagner quaestiones Virg. XVII, p. 451: «Utimur autem nominibus sic, ut aut simpliciter certam quandam vel rem vel personam declaremus, — aut vim ac naturam ejus vel rei, vel personae, quae certo aliquo nomine designatur, complectamur.»). Multi Marii (*πολλοὶ Μάριοι*) ist also tropisch der, welcher das Charakteristische des Marius, die Sucht nämlich, sich durch die Volkspartei zu heben, in sehr erhöhtem Grade besitzt." Eadem fere Casaubon. ad eundem h. l., provocans ille ad Vellej. II, 18, ubi: Mithridates, Ponticus rex — odio in Romanos *Hannibal.* Cferas praeterea Appian. *Ῥωμαϊκ. ἐμφύλ.* Lib. I, p. 421 de Sertorio: *ὅθεν αὐτὸν καὶ οἱ Κελτίβηρες διὰ τὴν ταχυεργίαν ἐκάλουν Ἀννίβαν* et a. pl. — De verbo *ἐνορᾶν* modo soli dativo adstructo, modo ita posito, ut *ἐν* praep. iteretur, adeas praeter Wyttenb. Moral. T. II, 891, Haiting. Act. Monac. III, 2, p. 165, qui locum nostro plane geminum attulit ex Demetr. LXI: *καὶ πολλοῖς ἐπῄει λέγειν τ. Μακεδόνων ὡς ἐν μόνῳ τούτῳ τῶν βασιλέων* (Pyrrh. scilicet) *εἴδωλον ἐνορῷτο τῆς Ἀλεξάνδρου τόλμης.*

Ταύτης τῆς φωνῆς ἐνεχθείσης πρὸς Καίσαρα. *Ἀνενεχθείσης* Cod. M. lectionem, quae Schaefero placet, equidem alteri, nil cunctatus, praetulerim. Cum enim pauci illi (*ἐνίων λεγόντων*), quos praeter virginum Vestalium sanctissimum ordinem fuisse Mamercum Aemil. et Aurelium Cottam, viros propinquos Caesari et affines, Sueton. I narrat, Caesaris voluntate atque rogatu de venia ipsi concedenda cum Sulla egerint (quod

cum per se satis est probabile tum Suetonii quoque firmatur testimonio, dicentis: donec per etc. etc. *veniam impetravit*) hujus viri responsum vago quodam rumore, fortuito aliquo casu ad Caesaris aures penetrasse credi omnino non potest; potius statuamus necesse erit, viros illos Caesari amicos, quem habuisset successum deprecatio sua, statim ad Caesarem *retulisse*, quae *referendi*, *renunciandi* notio inest verbo *ἀναφέρειν*, cf. Wunderl. Soph. Antig. v. 272, non inest simplici *φέρειν*; atque ita Amyot vertit: Ceste parole ayant esté *rapporté* à Caesar. — Simili modo cap. XVII. *Ὄππιον ἐκέλευσεν ἀναπαύσασθαι*, primam verbi compositi particulam aut scripturae compendio excidisse, aut ultima vocabuli praecedentis syllaba esse interceptam puto. Legendum ibi est *ἐναναπαύσασθαι*. Nam omnes quidem *ἀνεπαύσαντο*; *in tugurio* praeter Oppium, infirma utentem valetudine, nemo. Quodsi igitur *ἐν* praepositionem omiseris, languebit antithesis, vel nulla potius erit. Praefixa *ἀν* et *ἐν* in compositis librariorum incuria saepius intercidisse, aut inter se esse confusa, cognoscas ex Schaeferi not. ad Caes. XIV, p. 189, 15. Sinten. ad Aristid. XXV. Held. Aemil. Paull. XI, provocante ad Bast. Comment. palaeogr. p. 714. — *φωνή* vocab. ut latin. *vox* de praegnanti alicujus dicto saepius invenies usurpatum. cf. Caes. XIV. *οὐκ ἀξίαν τῆς περὶ αὐτὸν αἰδοῦς* etc. *φωνὴν ἀκούσαντας*. Consolat. ad. Apollin. c. IX (ed. stereot. I, p. 246.) *ἐνταῦθα γὰρ ἄν περ ἑλκύσειε τὴν τοῦ Σωκράτους φωνήν*. — In plurali de hominum sermonibus. Plut. Aemil. Paul. XXXI. *καὶ τὸ μὲν πλῆθος ἐν φωναῖς ἦν ἀπράκτοις*, et quem ibi citat Held. Demetr. XXXIV, 4.

πλανώμενος ἐν Σαβίνοις ἔκλεπτεν ἑαυτόν — *πλανώμενος*: ad dextram modo, modo ad laevam deflectens, transvorsis itineribus huc illuc se vertens, in alium semper ex alio loco commigrans, nec unum eundemque commorandi locum longius retinens. cf. Sueton. I: «ut etiam discedere e medio et, quamquam morbo quartanae aggravante, prope per singulas noctes commutare latebras cogeretur etc.» Quod ad vocab. *ἐν Σαβίνοις*, eandem notabis synesin, Graecis quoque usitatam atque apud Plutarchum frequentissimam (cf. Caes. XXVIII. *ἐν Πάρθοις*. Timol. *ἐν Λεοντίνοις* etc. etc.), qua Latini praepositionibus, quas hoc sensu non nisi terrae alicujus nomini conjungere licebat, gentium nomina adstruere solent, terram gentis nomine significaturi. cf. Fabr. Liv. XXI, 5. — *ἔκλεπτεν ἑαυτόν*, abscondidit sese, interfectoribus se subtraxit, fefellit eos, qui ea loca perscrutabantur, ne comprehenderetur se eripuit, de qua verbi *κλέπτειν* notione (verheimlichen, verbergen) quam equidem eam duxerim, ex qua aliae omnes h. vocis significationes fluxerint, adeas Held. ad Timol. XVII, p. 421, qui laudat Wyttenb. ad Plut. Moral. II, p. 884. Addas Pindar. Pyth. IV, 170. ubi de Pelia: *κλέπτων δὲ θυμῷ δεῖμα προςέννεπε*, quem locum ne Passov. quidem in lexico praetermisit.

ἔπειτα δι' ἀῤῥωστίαν εἰς οἰκίαν ἑτέραν μετακομιζόμενος κατὰ νύκτα. *Interpr. ap Reisk*: Inde dum *valetudinis caussa* aliam in domum transfertur, incidit etc. *Amyot*: Mais un jour comme il se faisait transporter d'une maison à une autre *à cause*

qu'il estait malade (ambo, quod vides, κατὰ νύκτα in versionibus non reddidere); *Dacer.* Un jour qu' une grande maladie le forçait à se faire transporter d'une maison à une autre, il tombat pendant la nuit etc., notula adspersa, in qua Rualdi amplectitur interpretationem. *Xylander:* Deinde *ob valetudinem* noctu in aliam domum translatus. — Jam videamus singula. Et primum quidem id optime videtur monuisse Rualdus, falli eos, qui putarent ἀῤῥωστίαν Caesari fuisse in caussa, ut mutaret domum, in qua usque dum latuisset. — Mutavit domum, quod aliter sicariis, quos in omnes Italiae partes a Sulla dimissos sciebat, subtrahere sese non poterat; quorum sagacitatem atque insidias nisi timuisset, ut erat aeger ac languens in eodem certe maluisset remanere deversorio, per quietem corpus aegrum curaturus, quam ut ob hanc ipsam corporis infirmitatem domicilium mutaret. — Quod cum sentiret Rualdus, duas proposuit rationes, hanc ut difficultatem expediret, ex quarum altera διά praep. „re vera αἰτιολογικῶς esset posita, sed ita ut caussam aperiret ipsius *vecturae* sive *gestationis*, non autem aedium subinde mutandarum," altera, quam Huttenius amplexus est, ita Plutarchum culpa liberare studet vir doctus, ut διά statuat, „ab auctore usurpatum esse ἐνδεικτικῶς, et statum indicare ipsum, in quo Caesar esset, cum Sullanorum inquisitorum metu alio atque alio commigraret," provocans ad Homer. Odyss. XV, 9. νύκτα δι' ἀμβροσίην μελεδήματα πατρὸς ἔγειρεν; ut ibi διὰ νύκτα, per noctem, cum nox esset, sic nostro loco „δι' ἀῤῥωστίαν esse, *per morbum* id est ἀῤῥωστῶν, *quum aegrotaret.*" — Verum est, epicos vocab. νύξ saepius accusandi casu aptasse a praepos. διά, sed ita fere, ut spatii subsit aliqua notio, cf. Il. II. 57. Ἦλθεν ὄνειρος ἀμβροσίην διὰ νύκτα; Il. VIII, 510. μήπως καὶ διὰ νύκτα καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ φεύγειν ὁρμήσωνται, ubi nos: durch die Nacht fliehen, i. e. durch die auf der Gegend lagernde, sie einhüllende Nacht fliehen, cf. Latin: «*sub* nocte silenti;» nec ipso eo loco, quo nititur Rualdus, διὰ νύκτα idem est, quod: während der Nacht, sed: die ganze Nacht hindurch, *per totam noctem,* ut etiam hic non status quidam (quod Rualdus vult) vocabulis illis innuatur obtinens Telemachus cum curis cruciabatur, sed id dicatur, filium illum patris amantissimum totum nocturni temporis spatium, alii «ubi leniunt curas et corda oblita laborum» *emensum* quasi esse vigilantem, curisque de patris vita se exercentem. cf. de hac re Bernhardy p. 236, 6. Kühner §. 606, II. Thiersch §. 274, 5. — Haec vero cum ad formulam illam δι' ἀῤῥωστίαν transferri non possint, nec aliud ullum exemplum praep. διά c. acc. hoc sensu positae, nec ipse proferat Rualdus, nec, quos inspexi, grammatici suppeditent: hac quidem explicandi via non possumus quin decedentes alteram ingrediamur, quippe quae nullis difficultatibus impedita facillimum ad locum intelligendum praebeat aditum. Supra dixerat, Caesarem, πλανώμενον evasisse insidias inquisitorum; jam cum voc. μετακομίζεσθαι utatur Plut., quod de iis dici, qui *transportantur* aliquo, non *suis* eunt pedibus, recte monuit Ruald. (cferri potest Cic. XLVI. ἐκομίζοντο ἐν φορείοις ἀπειρηκότες ὑπὸ λύπης): caussam debebat addere cur hac proficiscendi ratione, quippe

quae majorem efflagitaret apparatum, certe altera periculosiore, usus sit Caesar; quod fecit addens *δι' ἀῤῥωστίαν*, ob corporis infirmitatem. Senties h. explicationis veritatem, in pronunciando voc. *μετακομιζόμενος* si vocem intenderis. Ceterum *ἀῤῥωστία* voc. non tam de certo quodam morbo intellexerim, quam potius de infirmitate quadam corporis ex morbo illo, quam Sueton. febrem quartanam nominat, exorta, aut cum eo conjuncta, id quod absentia indefiniti *τις* suadere mihi videtur. Significationem vocabuli ipsius non obstare, et etymologicae ejus rationes ostendunt, et usu quoque probatur; cf. Plut. Caes. XVII. *οὐ μαλακίας ἐποιήσατο τὴν ἀῤῥωστίαν πρόφασιν, ἀλλὰ θεραπείαν τῆς ἀῤῥωστίας* (körperl. Schwäche) *τὴν στρατείαν*. Cic. III. *καὶ γὰρ ἦν ὄντως ἰσχνὸς καὶ ἄσαρκος, ἀῤῥωστίᾳ στομάχου μικρὰ καὶ γλισχρὰ μόγις ὀψὲ τῆς ὥρας προσφερόμενος*. Pyrrh. XII. *ὥσπερ ἐξ ἀῤῥωστίας* (Schwäche, Kraftlosigkeit) *μεγάλης ἀναλαμβάνουσαν*. — Jam si quis mirabitur, quod lemmati voc. *κατὰ νύκτα* apposuerim, is sciat ab ea me stare sententia, ut voces illas voc. *μετακομιζόμενος* adjungenda, ideoque commate interposito a sequentibus sejungenda censeam; non enim est «*noctu*» quod interpretes dederunt omnes, sed «*per singulas noctes;*» cf. similes formulas *καθ' ἡμέραν*, Tag für Tag, *κατὰ μέρος* Theil für Theil. Bähr. ad Alcib. XIII, p. 127. Philop. IV. Cic. XXXIII. Aemil. Paul. X. Kühner §. 607 etc. etc. — Totius igitur sententiae hic erit sensus: Caesar transvorsis ab initio itineribus, nulloque nec diei nec noctis habito discrimine, percussoribus Sullanis ut se subtraheret, in Sabinis circumvagatus est; tum, quum corpus ex morbo infirmum, ita quominus pergeret, obstaret, dies quidem, uno eodemque loco abditum sese continuit, *quavis* vero *nocte* in aliam domum transportandum se curavit. Quod cum ne sic quidem satis occulte fieri potuisset, factum est ut in inquisitorum manus incideret. — De particula *δέ* post voculas *εἶτα*, *ἔπειτα*, ubi praecessit *μέν* constanti fere usu omissa adeas Heindorf. Plat. Phaedon. p. 86. E. Sophist. p. 254. C.

περιπίπτει στρατιώταις τοῦ Σύλλα διερευνωμένοις ἐκεῖνα τὰ χωρία. *περιπίπτειν τινί* cum saepissime de iis dicatur, qui praeter opinionem ita incidunt in rem aliquam, haec ut ab omni parte eos circumdet, urgeat, redituque arceat, cf. formul. *νοσήμασι*, *κακοῖς*, *συμφορᾷ*, *θορύβοις* (Caes. VIII.) *ὑποψίᾳ* (Pericl. VII, Sinten. p. 87.) *κινδύνοις περιπίπτειν* — nostro loco, usu haudquaquam vulgari ita est positum, ut significet, inopinato in manus alic. incidere, capi ab aliquo. — *ἐκεῖνα τὰ χωρία*, sc. *δι' ὧν ἐκομίζετο ὁ Καῖσαρ*, Sabinorum agros.

Κορνήλιον, Phagitam cognomine. cf. Suetou. c. LXXIV: «*Cornelio Phagitae*, cujus quondam nocturnas insidias aeger et latens, [1]) ne perduceretur ad Syllam vix praemio

---

[1]) In edit. Graeviana est: aegre ac latens, nescio qua auctoritate, certe sine sensu. Sed etiam in vulgata istud «*latens*» quam maxime displicet; si enim latuisset Caesar, captus

dato evaserat, nunquam nocere sustinuit.» Schmiederus, allato h. Sueton. l. addit: «nisi ab negotio abominando *Sphagita* dictus erat.» Quod praetermittere satius erat. Majore cum fructu idem animadvertit «Caesarem totidem talentis vitam a Cornelio redemisse, quot Sylla cuicumque, qui unum ex proscriptis interemisset, daturum sese promiserit.“ — Ad formam *δυσί* Plutarcho unice fere amatam (Cic. XVII, Cat. m. XXXVIII. Pomp. LIII etc. etc.) Cf. Buttm. I, p. 267; ad aorist. form. *ἀφείθη* eundem I, p. 521. — *ἐπὶ θάλατταν*; mare ubi in universum terrae opponitur, v. *θάλαττα* jure caret articulo. Cf. nostr. Cat. m. LXV. *καὶ τὰς μὲν ἄλλας ἀπέκλεισε θύρας, μιᾷ δὲ τῇ πρὸς θάλασσαν φερούσῃ* etc., quare addas id iis nominibus, quae, quando non de uno quodam ac definito, sed de genere in universum dicuntur, articulo carere docuit Stallb. ad Platon. Criton. p. 51, A. cf. praeterea Kühner §. 484 Anmerk., Halm Elementarb. der gr. Synt. §. 4 Anmerk. — *Ἡ θάλαττα* — nisi praecessit certi cujusdam maris mentio, idem est, quod alias *τὴν καθ' ἡμᾶς* dicunt Graeci, *mare internum;* Cf. Stallb. ad Plat. Phaed. p. 109, B. quod infra tenebis, ubi piratae jam tunc obtinuisse dicuntur: *τὴν θάλατταν*. Hoc totum eos tenuisse in potestate, cognosc. ex Appian. *Ῥωμαικ. ἐμφύλ.* p. 233: — *οὐ μόνης ἔτι τῆς ἑῴας ἐκράτουν, ἀλλὰ τῆς ἔντος Ἡρακλείων στηλῶν ἁπάσης.*

ἐξέπλευσεν — εἰς Βιθυνίαν. Pertinent huc quae Bähr. adnotavit ad Pyrrh. XIII, p. 174 (*τότε δ' οὖν εἰς Ἤπειρον ἐκπεσόντι τῷ Πύῤῥῳ*), saepe verbis, quae motum ex aliquo loco indicent adjici praepositionem, quae motum in aliquem locum exprimat, laudans Wesseling. ad Diodor. Sicul. II, 60. et C. G. Jacobs ad Luciani Toxar. p. 45. coll. p. 133, quibus noster locus addi poterit.

Νικομήδην τ. βασιλέα. cf. Sueton II: desedit apud Nicomedem. — Est autem hic Nicomedes III, Philopator, mortuus a. p. u. c. 679 (74), postquam populum romanum haeredem scripserat. Cf. Liv. Epitom. L. XCIII. De Caesaris inhonesta cum Nicomede consuetudine, quae «grave ac pereme ei tulit opprobrium,» adeas Sueton. XLIX. — Schaeferus cur *Νικομήδην* scripserit, quamvis e codicibus praeter Vulcobianam *Νικομήδους*, quae sensu est cassa, nil variae lectionis enotatum sit, omnes editiones, Reiskii, Huttenii, Bryant., Corais, Schmiederi retineant *Νικομήδη*, vix dixeris; certe aliis in locis ubi codices suppeditabant formam accus. — *ην*, eam usque adeo neglexit, ut ne mentionem quidem ejus faciendam putaverit, cf. Philop. XVI ubi pro eo, quod in textu posuit Schaefer. *Διοφάνη*, Monac. et Palat. *Διοφάνην* exhibent, vid. Bähr. ibid. p. 58 et ad Flamin. XII, p. 111. — Equidem in talibus numerandos esse testes contendo; ambas enim has accus. formas vocab. in *ης* terminantium apud serioris certe aevi scriptores promiscue usur-

---

certe non esset. Me si sequeris, levissima scribes mutatione: *languens*, et vertes: krank und leidend v. schwach; redundantia quadam orationis, ne ab optimis quidem scriptoribus aliena.

pari dubitari nequit; cf. Buttm. I, §. 56. Matth. §. 91, 1. — Reponas igitur *Νικομήδῃ* auctor sum.

Περὶ τὴν Φαρμακοῦσσαν νῆσον. Edit. Reisk., Hutt., Bryant: *Φαρμακοῦσαν.* Corais primus dedit, quod est in lemmate, adnotans haecce: *Φαρμακοῦσσαν ἐξ ΗΔ, ὁ διπλασιασμὸς τοῦ σ· ἔστι γὰρ παρὰ τὸ Φαρμακόεσσα. Οὕτω δὲ γράφεται καὶ παρὰ τῷ Βυζαντίῳ Στεφάνῳ, ὃς παρὰ ταύτην τὴν ὑπὲρ Μίλητον κειμένην Φαρμακοῦσσαν νῆσον (ἣ τανῦν Φαρμάκο καλεῖται) καὶ ἑτέρας δύο, τὰς πρὸς τῇ Σαλαμῖνι κειμένας, Φαρμακοῦσσας φησὶ καλεῖσθαι. Πολύαινος δὲ (Στρατηγημ. II, κγ' 5, σελ. 264) οὐ περὶ τὴν Φαρμακοῦσσαν ἁλῶναι τὸν Καίσαρα φησὶν, ἀλλὰ περὶ τ. Μαλέαν, εἶτα κατασχόντας τοὺς ἑλόντας λῃστὰς εἰς Μίλητον, τειχῶν ἔξω προσορμίσασθαι.*— Quod ad scribendi rationem in similibus nominibus (*Σκοτοῦσσα, 'Αργινοῦσσα*) observandam, cf. Schaef. adnot. ad Plut. Tom. I, p. 420, v. 30. Bähr. ad Plut. Flamin. VII, p. 95. Held Aemil. Paull. VIII, p. 168. — Ceterum notandum, insularum nomina, pariter atque fluviorum, cum proprie sint adjectiva, nomen appellativum *νῆσος* ubi addatur, hoc inter et articulum collocari.

ἤδη τότε. De origine atque incrementis potentiae piratarum cf. praeter Plut. Pomp. XXIV et XXV, Appian. *'Ρωμαικὰ* p. 233: *Μιθριδάτης— ἡγούμενος οὐκ ἐς πολὺ καθέξειν τῆς 'Ασίας, τά τε ἄλλα ἐλυμαίνετο πάντα, καὶ εἰς τ. θάλατταν πειρατὰς καθῆκεν, οἳ τὸ μὲν πρῶτον ὀλίγοις σκάφεσι καὶ μικροῖς οἷα λῃσταὶ περιπλέοντες ἐλύπουν· ὡς δὲ ὁ πόλεμος ἐμηνύετο, πλείονες ἐγίνοντο καὶ ναυσὶ μεγάλαις ἐπέπλεον· γευσάμενοι δὲ κερδῶν μεγάλων, οὐδ' ἡττωμένου καὶ σπενδομένου καὶ ἀναχωροῦντος τοῦ Μιθριδάτου ἔτι ἐπαύοντο. — Κατέχειν τ. θάλατταν*, formula legitima de imperio maritimo cf. Them. IV. *καὶ κατεῖχον οἱ Αἰγινῆται πλήθει νεῶν τ. θάλατταν* etc. etc.

Jam vero vel sic statutos huic scriptiunculae fines egressi, ne longius procedamus cum moneamur, ad id properandum est, cujus caussa haec qualiacunque sumus praefati. Rediit enim festus ille dies, quo campi sudore atque pulvere absterso, nitidi juventa, successuque laeti in lucem vestram prodire solent adolescentuli, quibus victoriae palmam decreverunt praeceptores. **Itaque ut vos, qui summo Regis in Palatinatu præestis consilio, viri nobilissimi, amplissimi, excellentissimi, ecclesiarum rectores summe reverendi, militum præfecti atque ductores fortissimi, discipulorum nostrorum parentes atque tutores spectatissimi, quotquot denique rebus nostris favetis atque cupitis, frequentes adesse velitis, præsentia vestra, quos supra indiximus actus solennes condecoraturi, omni qua decet observantia quæsumus atque rogamus.**